



TRANSIT


ANIMA E


M 2859












48.372




TRANSITUS

*Animæ revertentis ad jugum sanctum
CHRISTI JESU.*

Auctore LUDOVICO BESOMBES DE
SAINT-GENIÈS, in Montalbanensi
Subsidiorum Curia Decano.

*Et ego novissimus evigilavi, & quasi qui colligit acinos
post vindemiantores. SAP.*

Opus Illustrissimo necnon & Reverendissimo
D. D. SEIGNELAY DE COLBERT
DE CASTLE-HIL, Episcopo & Comiti
Rhutenensi, dicatum.



MONTALBANI,

Apud PETRUM THOMAM CAZAMEA, Bibliopolam,
hujusque Libri Editorem.

M. DCC. LXXXVIII.

Permissione Regia.

TRANSITUS

Antimes iheretensis ex iherum lumen



CHRISTI VERA.

Angelicus Iacobus Thesomensis de
SAINT-GENYSE, in Monspissensi

Supervisione Cenit Descano.

Et sic levitatem suam et suam et suam

De CASTEL-HABE, Episcopo Regni
Ripublicae micante.




MONTALBANI

PETRUM TOMAS CAZMUS, SIGNATOR

M DCC XXXVII

Sic semper vita



ILLUSTRISSIMO D. D.
SEIGNELAY DE COLBERT
DE CAST-LE-HIL,
EPISCOPO ET COMITI RHUTENENSI.

P RINCEPS ILLUSTRISSIME ECCLESIAE,

*NON animus est mihi, hoc Excelsitati
tuæ, non meum quidem, sed labore meo in
lucem prolatum Opus dicanti, commendare
posteriorati tuum nomen. Quid gloriæ inde illi
contingeret? Satis commendabit historia,
quæ viros de Republica optimè meritos præ-*

clarâ æternâque famâ impertiendos libenter
fuscepit ; commendabit Religio , quæ sibi
plaudit quod felici vigilem populo Pastorem
te præfecerit ; commendabit provincia cuius
administrationi à Rege subditorum amantis-
simò præesse jussus es ; commendabunt deni-
què virtutes , quibus magis etiam innotescis ,
quam tuâ illustrissimâ stirpe , de qua quilibet
alius non immerito gloriaretur , quarumque
memoria , nescia oblivione vinci , tuo admi-
rationis facem nomini ipsi prælatura est . His
totidem viis debitam consequeris immortalita-
tem , non tibi consecrato volumine , cui tuo ,
ut eâ insigniatur ipsum , opus est patrocinio .
O qui tanti mensuram nominis imple ,
Colberet ! ne dedigneris tutelâ tegere Librum
quo edito & Religio & litterarius orbis pariter
gaudent , qui pietate doctrinâque præpolles ,
& mihi arridere supplici , qui eum Excelsitati
tuæ dedicare ausus sum , & cui nihil est glo-
riosius reverentiâ quæ me semper profitebitur ,

PRINCEPS ILLUSTRISSIME ECCLESIAE ,
EXCELSITATIS TUA ,

Humillimum , devotissimum
obedientissimumque servum .
CAZAMEA.

LETTRE DU VICE-LÉGAT.

*A M. de Besombes de Saint-Geniès, Doyen
de la Cour des Aides, à Montauban.*

Avignon, le 8 août 1783.

MONSIEUR,

CONFORMÉMENT à ce que vous m'avez fait l'honneur de m'écrire le premier du courant, vous recevrez sous ce pli, par la voie de la poste, la réponse que je suis chargé de vous faire passer de la part de Sa Sainteté. Votre première lettre ayant été bien accueillie, soyez bien persuadé que la seconde que vous vous proposez d'écrire, le sera également. Si vous voulez me l'envoyer, je me chargerai volontiers de la faire présenter à Notre Saint Père. J'accepterai avec plaisir les exemplaires de l'Ouvrage de littérature que vous voulez bien m'envoyer. Je voudrois à mon tour pouvoir vous être utile, & vous donner des marques des sentiments distingués avec lesquels j'ai l'honneur d'être,

MONSIEUR,

Votre très-humble & très-obéissant serviteur,

FILOMARINO, Vice-Légat.

EPISTOLA N. S. P. PAPÆ.

*Dilecto filio Ludovico Besombesio à Sancto-
Genio, in Montalbanensi Subsidiorum
Curia Decano, Montem-Albanum Cadur-
corum.*

PIUS P.P. VI.

DILECTE fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Librum asceticon quem dono ad nos misisti, libenter cum litteris tuis accepimus. Nulla adhuc ejus legendi potestas à tempore fuit; nam gravitoribus quotidiè curis distinemur. At si Liber ita se habet, ut scribis, compositus nempè aurei instar Operis Kempliani de *Imitatione Christi*, jam ipse studio pietatis, perfectionisque virtutis amore plenus esse debet. Quapropter tibi etiam atque etiam gratulamur, qui de sanctificatione animarum vehementer laboras, ac plurimas pro suavi illo munere gratias habemus. Optantes parem liberalitati tuæ gratiam referre, Apostolicam Benedictionem & plenariam admissorum indulgentiam tibi, dilecte fili, modò sacramentali confessione expiatuſ, & sacrâ synaxi reſectuſ ſis, peramanter in Domino impertimur. *Datis Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, xvii kalendas sextiles M. D. CC. LXXXIII. Pontificatus nostri anno nono.*

AVIS DE L'ÉDITEUR.

APRÈS avoir donné deux éditions consécutives de la traduction du Livre original que je publie aujourd'hui, cet original précieux m'a été demandé de toutes parts. Le rapide débit de la Traduction, les éloges qu'elle a universellement reçus, les contrefaçons qui en ont été faites clandestinement dans plusieurs villes du Royaume, sont une démonstration de l'excellence de l'Ouvrage. Mais si la copie a été si favorablement accueillie, si elle a été l'objet de l'admiration de tous les lecteurs, si elle a réuni, en un mot, tous les suffrages, quel accueil ne doit pas attendre, quelle admiration n'inspirera pas, quels suffrages n'obtiendra point cet original, qui offre immédiatement aux yeux du lecteur les vrais sentimens de l'Auteur? Personne ne l'ignore: quelque fidèle, quelque élégante que soit une Traduction, elle affoiblit toujours les traits du premier pinceau. L'interprète, en rendant la pensée de son Auteur, ne peut pas toujours rendre l'énergie de ses expressions.

Nous osons attester tous ceux qui nous ont fait l'honneur de nous demander la traduction: il n'en est point qui n'ait cru devoir en faire l'éloge. Eh! qui pourroit refuser son suffrage à un Livre dicté par la piété la plus éclairée, & auquel la Religion devra la conversion de plusieurs de ses enfans? avec quelle douce satisfaction cette Religion sainte a dû voir qu'au

milieu d'une foule d'Écivains qui l'attaquent, il s'en est élevé un, qui nourri des Livres sacrés, & cédant à l'impulsion d'un enthousiasme divin, lui a consacré un monument qui sera à jamais l'effroi de l'impie, & la consolation du juste !





TRANSITUS

*Animæ revertentis ad jugum sanctum
CHRISTI JESU.*

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De veteri jugo ad novum transitus.

Vox Peccatoris ad jugum sanctum revertentis.

1. **V**ENITE ad me, omnes qui onerati estis... tollite jugum meum... & invenietis requiem animabus vestris. Hæc sunt verba tua, Domine, verba super mel & favum dulcia cordi meo. Venisti ut errantes omnes reduceres ad te: non ut justos, sed peccatores quereres: non ut sanos, sed languidos & infirmos confortares: ut, fracto durissimo jugo, educeres nos de domo servitutis: ut medereris contritis corde: ut prædicares captivis remissio-

A

nem , & cæcis visum : ut confractos dimitteres
rectos : ideo in terris visus es , & cum hominibus
conversari dignatus es .

Impositum jugum illud grave super omnes filios
Adam , à die nativitatis in diem sepulturæ , per
te , per jugum sanctum tuum evacuatum est .

Tempus tuum , Domine , tempus redemptionis ,
dies salutis : jugum tuum corona libertatis , doctrina
veritatis & pacis .

O verbum dulcissimum , verbum verum , verè
verbum divinum , in quo vocasti nos , in quo ve-
nisti ut per te vocati venire valeremus ad te , in
quo venisti ut eriperes nos de fornace illa ferrea
Ægypti , & faceres nos populum tuum heredita-
rium in sempiternum !

2. Empti pretio magno , servi tui sumus , Do-
mine , & tamen venisti nomen præbere filiorum
in similitudinem hominum factus , novus Adam ,
à quo denuò nascimur per Spiritum vivificantem .

O qui suavi illâ vocatione vocasti nos ! da renasci-
da transire in libertatem filiorum Dei , qui hacde-
nus fuimus durâ peccatorum nostrorum servitute
oppressi .

Impone jugum sanctum tuum super caput nos-
trum , Domine , pro jugo æneo Pharaonis , pro
jugo horrendo servorum , jugum suave filiorum :
pro servili onere luti & lateris , disciplinam patris :
pro compedibus & manicis ferreis voluntatis per-

versæ , dulce vinculum amoris sancti tui.

3. Væ mihi, Domine, væ mihi qui juga quinque gravissima sensuum meorum portare prætuli uni jugo sancto tuo dulcissimo !

Qui , ut maledicta illa juga probarem in labore, & dolore, & afflictione spiritûs , renui accedere ad nuptias immortales !

Qui quinque tyrannis malui servire quâm patri ! Qui, dum refugi paternæ obedientiæ jugum , incidi in dominium crudelissimum omnium vitiorum !

Cui , dum fas erat assiduè pane filiorum nutriri in domo patris mei , libuit ad siliquas immundissimas ardere in regione famis & egestatis !

4. Quid faciam , miser , postquâm erravi & contabui... & tunc ad me reversus ? Surgam , aio , & ibo ad patrem , ipse enim est qui vocat me : ibo & dicam : Jam non sum dignus vocari filius ; fac me sicut unum de servis tuis , ingrato & perfido impone jugum mancipiorum tuorum .

Hæc dixi ; & tu , ô piissime pater ! pro jugo servi dedisti stolam primam , pro vinculis annulum in manu , in amplexus ruisti , & lautiores epulas parari jussisti .

Itane ergo , Domine , revertentem flagellas filium quem recipis , imponens suave jugum tuum in jubilo & cordis exultatione ? Ita certè ; & hoc confiteri tenetur quisquis , dissipatâ substantiâ suâ , ad te tandem , ô Domine ! vel adolescens adhuc

circa horam tertiam , vel juvenis circa sextam ; vel etiam proiectior ad nonam & undecimam , advesperascente vitæ hujus die , verè reversus est.

Confiteri tenetur quoniam accuristi & cecidisti super collum ejus , & osculari dignatus es quem adhuc in folidis vestibus circumdabat horror & fœtor.

Confiteri tenetur quia & suaviores sunt lacrymæ pœnitentium gaudiis theatrorum , orantium gemitus choreis mundanorum , ritus jejuniorum calicibus vini cum melle mixti.

5. O Domine Deus , miserator meus ! in hac regione horroris imperant diri & crudeles domini , urgentes semper & nunquam parcentes , fatigatum acriùs instigantes , subditum duriùs prementes , insuper & sibi invicem adversantes .

Et tamen jugum illud nefandum , jugum inimicorum tuorum , etsi multitudine imperantium onerosissimum , suggestorum contrarietate intolerabilissimum , falsis blanditiis irretitus , concupiscentiis illaqueatus , inebriatus carnalibus gaudiis , summam felicitatem putabam .

Quasi agnus lasciviens , stultus trahebar ad vincula : quasi bos ignorans , ducebar ad victimam .

Transfixum jam erat jecur meum sagittâ mortiferâ : de periculo animæ agebatur , & nesciebam .

6. Vias calcabam inferi penetrantes in interiora mortis , nec agnoscebam : lassatus sum in viis ini-

quitatis , nec præ lassitudine inveni requiem illam
præoptatam : lasso siquidem non dabatur requies.

Frustrà everti sensum meum , & declinavi oculos meos , ne viderem cœlum , neque recordarer judiciorum æternorum.

In profundum malorum descenderam , & contemnebam.

Verumtamen nec adhuc requies erat animæ quæ
nec Deum nec hominem reverebatur.

Restabat pondus sarcinæ gravioris , onus intolerandum , cor vacuum , abyssus multa , inquietum malum & inexcogitabile.

Confiteor ergo tibi , Domine , quia verè fecisti nos ad te , & ideo irrequietum est cor nostrum , donec requiescat in te.

7. Quid facerem in tenebris illis ! Heu ! longè à te verti me ad inquisitiones omnium quæ fiunt sub sole ; & quam negabant requiem caro & sanguis , delitiae & bona , quæsivi in scientiarum pelago ; & ecce ubique labor & sudor , & afflictio carnis & spiritus.

Ibi arida veritatis inquisitio , quæ non satiat cor : inutilis doctrina , quâ pauca novi quæ sunt extra me , dum memetipsum penitus nescio : universa , vanitas.

Audivi sapientiam & famam Sapientium hujus seculi , & tandem spem habui requiescendi in vero & bono.

Et ecce pro lumine trudebant tenebras , pro fulgore fumum multum , pro assertionibus utrobiquè fluctuationes .

Attendi paululum , & dixi intra me , miratus nimis : Sapientiae inquisitores delectantur in tenebris , immorantur in dubiis ; ibi requiem cordis sub vestigiis magistrorum invenire tentabo .

8. Mores eorum inquisivi , dicens hoc veræ beatitudinis iter imitari sapientes .

Et ecce inveni homines plenos invidiâ , contentione , malignitate , superbiâ , elatione , incompositos , sine affectione , absque födere .

Genimina viperarum , progeniem Philosophorum illorum qui olim , cum cognovissent Deum , non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt , sed evanuerunt in cogitationibus suis , & obscuratum est insipiens cor eorum :

Qui , dum Deum ubiqùè exclamant , Deum fatentur verbo , Dei sanctum nomen usurpatum obtendunt , factis negant & scriptis sacrilegis :

Et eò usque procedunt ut gloriam incorruptibilis Dei tribuere ausi sint immunditiis carnis , juxta desideria cordis ipsorum , idolatriæ facinus innovantes , & sub specie physicæ veneris , in natura naturæ auctorem , quem ignorant , blasphemantes .

Horruī ut primū viderunt oculi mei abscondita mysteria cordis illorum , ubi umbrosæ patuere cavernæ , ubi detectum est barathrum immane , expavit anima mea .

9. Lucerna illa posita in caliginoso cordis mei,
ibi testificata est inesse sapientiam, ubi sapientissimè
dirigitur cor.

Hoc opus legis primæ, ô Domine Deus meus!
scriptum in corde, quod evertere nec delere unquam
potuerunt scelera mea.

Hæc lex in tabulis cordis digito sancto tuo scripta
permanet, ô admirabilis factor noster! & indelebili-
bus typis impressa manebit, etsi vendita corda nostra
sub peccati jugo, in lapideas vel æneas tabulas carnei
cordis nostri prava peccandi consuetudo mutaverit.

Redii ex tunc ad cor meum: tenebris involutus,
invocavi te, Domine, çujus lux in tenebris lucet:

Qui illuminas oculos carnis nostræ dulci fulgore,
& oculos mentis nostræ lumine certiori:

Et vidi & confessus sum quia sola relicta est lu-
cerna pedibus meis verbum tuum:

Lucerna lucens in caliginoso loco donec dies elu-
cescat:

Lucerna lucens & ardens, per quam illuminamur
& accendimur, per quam fas est viam scire, veri-
tatem diligere, & vitam invenire.

10. Quas valeam referre gratias pro misericordia
tua, Domine? quid repandam affectuum, actuum
& sermonum miseratori meo pro gratia illa quâ
dignatus es lucere cordi meo luce suaviori super
amœnissimi veris amœnissimum diem?

Etsi totum repandam me cui totum me debeo,

totum retribuendo , nihil mei retribuam , cùm totum , & esse , & velle , & posse meum ab ipso habeam per naturam pariter & per gratiam :

Cujus miserationibus vocatus & regeneratus totus iterum acquiror & fio per clementiam prævenientem , comitantem & consumantem quidquid boni fit in me .

11. Lucerna fulgoris tui illuminabat me , Domine , vocabas me , & vox tua dulciter sonabat in auribus meis .

Desiderio desiderabam sequi vocantem me , nec valebant incedere genua mea , infirmata à pinguedine carnis & jejunio mentis .

Piscinæ immergi cupiebam , nec vox erat in præcordiis meis , ut hominem vocarem .

Sanus fieri volebam & orabam , sed tenaciter in grabato detinebant me vetera vincula , recentioribus in dies magis ac magis roborata .

Mente condelectabar legi Dei , sed erat lex præpotens in membris meis , repugnans legi mentis meæ , & captivans me in lege peccati :

Et dixi sæpius : Quis franget jugum illud ferreum ? quis deponet onus omni onere gravius ? quis liberabit me à servitute carnis & sanguinis ?

Quis dabit mihi pennas columbæ , pennas munditiæ , & volabo & requiescam ?

12. Et ecce castigans castigasti me , non ut morti traderes me , sed ut aperires mihi portas justitiæ .

Percussisti me, Domine, ut sanares me: usque ad portas mortis peccatorem deduxisti, ut pœnitentem reduceres.

Attrivisti ossa mea, corpus extenuasti in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret.

Recogitavi annos meos in amaritudine animæ meæ, & inveni dies & menses vacuos: extimui & horrui.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & confessus sum, & misertus es mei.

Cibasti animam meam pane lacrymarum, & potum dedisti mihi in lacrymis, in mensura.

13. Voluisti, Domine, ut adhuc laudarem te in terra peregrinationis hujus, conversus ad te, reversus ad me, qui confiteri merueram æternumque probare justitiam tuam in terra perditionis.

Noluisti scribere contre me amaritudines, nec consumere me peccatis adolescentiæ meæ.

Dixisti de adultera anima mea, sicut olim per Prophetas tuos de gente peccatrice & exacerbante:

Fornicata es cum amatoribus plurimis, verum tamen revertere, & ego suscipiam te: recordatus sum miserans adolescentiam tuam & charitatem desponsationis tuæ.

14. Heu! quanta est miseratio tua, Domine! nec jugum sanctum confringere, nec sacra vincula tua conculcare tremueram, ut post alienos ambularem, sacrilego insaniens amore.

Oblitus eram tui, ô dulcissime sponse animæ meæ! dereliqueram te, ô fons indeficiens aquæ salientis in vitam! ut in via Ægypti paëtum ini-rem cum morte, biberemque aquam turbidam.

O quām justè merueram sepeliri in confusione mea & operiri in ignominia mea, qui tam graviter, tam multipliciter peccator & prævaricator extite-ram ab adolescentia mea!

Qui tandiu vocatus renueram, tandiu audiens vocem tuam obduraveram cor meum & obtura-veram aures meas, tanquam aspis surda, ad sonum mellifluæ incantationis gratiæ sanctæ tuæ!

15. Sed, heu! quām longè distant misericordiæ tuæ à misericordiis hominum! quām longè abest altitudo bonitatis tuæ à termino sustentationis & sufferentiæ nostræ!

Quam clementiam nunquam sperare ausus fuissem ab homine, cuius indignum memetipsum judi-cabam, dum horrerem præ fordibus meis, & pro te contra me judex stare in corde meo, in hac & ampliori & superabundantiori indulgentia suscepisti me:

De luto fæcis & limo profundi elevans me ad habitaculum sanctum tuum, de loco horroris & vastæ solitudinis ad terram deliciarum, de sepulcro concupiscentiarum mearum ad fensem mundissi-mum amoris sancti tui.

Heu! quandiu inducias quæsieram in retrahendo

pede ab ore putei gehennalis ! quandiu dubius & anceps fueram retardatus & miserè cunctatus exire ! quandiu semiusto latere absconditum ignem in sinu meo excutere & abjicere dubitaveram !

Heu ! atrium interius & exterius , atrium cordis & sensuum meorum fortis armatus sibi vendicaverat tradentibus concupiscentiis & pravis desideriis meis.

Inimici facti domestici , sensus mei vendiderant me sub peccati jugo : eò usque venerant ut nec valerem solvere vincula quæ horrebam , quotidiè proponens & nunquam perficiens.

16. O misericordissime & piissime Samaritane ! in hac misera lucta semifivum relictum , elongantem me semper à cœlesti Jerusalem , & tendentem in maledictum Jericho , semper novis & insanabilibus plagis morti addictum respicere non horruisti.

Sed & accurere dignatus es , & infundere oleum & vinum super plagas pessimas & innumerias , ô Christe amantissime , cujus livore fanati sumus !

Heu ! nisi quia tunc Dominus adjuvit me , habi-
tasset in inferno anima mea , in inferno inferiori ,
ubi nulla confessio , undè nulla est redemptio .

Benedictus Deus virtutum , Dominus Jesus , qui
non dedit me in captionem dentibus hostis mei jam
parati ad escam !

Benedictus qui tunc visitans & redemptionem

A vij

faciens, invaluit fortius, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit!

Benedictus qui fortior superveniens intravit in castellum, & vincitum de domo carceris & umbra mortis eduxit in confessione!

Benedictus qui fortem alligavit & vasa ejus diripuit, ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem, mundans interiorem & exteriorem hominem!

CAPUT II.

Præoccupemus faciem Domini
in confessione.

Vox Peccatoris ad jugum sanctum revertentis.

I. CONFITEBOR tibi, Domine Jesu, & collaudabo te, Deum salvatorem meum, quoniam adjutor factus es mihi, & reduxisti me à viis perditionis, liberans animam meam à laqueo deaurato linguæ iniquæ, & à labiis filiorum diffidentiæ distillantibus mendacium cum melle & favo.

Confitebor quia secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, nominis illius quod unum datum est nobis, Salvatoris & Jesu, in quo possimus salutem invenire, liberasti me à rugientibus

præparatis ad escam , & de manibus quærentium
animam meam :

Quia eduxisti me de medio fornacis , de altitudine
ventris inferi , à pressura flammæ quæ circumde-
derat me , & in medio ignis non sum æstuatus .

2. Laudabit anima mea Dominum , laudabit usque
ad mortem , quia cùm junior oberrasse in itinere
seductorum blandientium concupiscentiis meis , eri-
puisti me de tempore iniquo & de pestilentia seculi .

Laudabo & benedicam nomini tuo in seculum ,
quia accedere dignatus es & infundere in vulnera
semivivi relicti oleum & vinum , dum vita mea
appropinquans erat in inferno deorsum :

Dum circumdederant me undique latrones diri ,
nec erat qui adjuvaret : dum respiciens eram ad
adjutorium hominum , & non erat :

Dum inundaverant usque ad animam aquæ dubi-
tationum & fluctuationum : dum abyssus increduli-
tatis vallaverat me , & pelagus incertitudinis ope-
ruerat caput meum .

Quid retribuam Domino meo pro omnibus his
quæ retribuit mihi !

3. Confitebor tibi in æternum , & magnificabo
nomen tuum , quia quem feceras in animam viven-
tem , mortuum per peccata multa , fuscitasti in abun-
dantiori misericordia per spiritum vivificantem .

Qui descenderat usque ad interiora mortis &
computabatur inter dormientes in sepulcris , ad

lucem reduxisti : fætentem oleo sancto perfudisti ,
& nudum stolâ primâ circumvestisti .

Miserere mei , Domine , qui non possum beneficiorum tuorum mensuram attingere , cuius sensus deficit præ lumine miserationum tuarum .

Sive enim inspiciam supra vel infra , intra vel extra me , ecce totum æther miserationis & charitatis tuæ , quo immersus sum , nec aliud invenio nisi abyssum miserationum in quo evanescit parvitas mea .

4. At dum sic deficit parva & pusilla creatura tua in immensitate miseriæ suæ , ipsam intueri & reficere non lacessit immensitas dignationis tuæ , quæ pusillum & magnum fecit , & super utrumque æquè absque cura sollicitè respicit & providet , abyssus abyssum forbens , immensitas infinitatem .

Verum si gratias agere nequaquam valeo , lacrimis infusus & compunctus veniam postulabo , & si in gratias agendis non possum ascendere usque ad thronum tam alti benefactoris , ad pedes ejus qui ut susciperet & sanaret infirmos descendit ad nos , stabo contritus & gemens cum peccatrice quæ multum diligens multam meruit remissionem , & dicam :

Peccavi , peccavi Domino meo , iniquè egi nimis recedens à te , prævaricator sacrilegus , apostatans à te , cui devotus ab infantia , in sacro baptismatis fonte , insuper sponteñ despondi virginem castam exhibere .

Deliqui in omnibus : sacra divini fœderis vincula
frangere simul & humana humani juris contemnere
ausus sum , vilis homuncio , factus supra modum
peccans peccator.

Præcepta tua non audivi nec observavi , nec feci
sicut præceperas mihi ut bene mihi esset.

5. O Domine Deus meus ! iram tuam portare
meritus sum , quoniam peccavi tibi ; nec tamen
induxisti super me fluctus furoris tui , secundum
peccata mea :

Nec fecisti mihi retributionem scelerum meorum;
sed longanimis & corroborans erga me miseratio-
nem tuam , expectasti me , & judicium & justitiam
distulisti.

O Pastor benignissime ! miserere ergo redeuntis
ad te : parce ad te revertenti , qui nec redit nisi
reductus à te , nec revertitur tandiu errabundus ,
nisi placide portatus super humerum tuum.

Miserere & parce spoliato & ad mortem vulne-
rato , cui nec subest de proprio holocaustum vel
sacrificium , vel oblatio , vel incensum , ut possim
invenire misericordiam tuam.

6. O victima sola vera , sola acceptabilis , sola
complens expiationem peccatorum nostrorum in
carne tua sancta ! veniam præbere digneris & re-
demptionem.

A te suscipiar in animo contrito & spiritu hu-
militatis , & sacrificium spiritū mei contribulati ,

per summum illud verè propitiatorium sacrificium corporis sancti tui pro me traditi, & sanguinis tui pro me effusi, sic fiat dignum tuū, & sic ascendat ante thronum majestatis tuæ, ut & placet offendit & placeat parcenti & condonanti.

Miserere secundùm immensam & investigabilem misericordiam promissionis tuæ, ô bone Deus qui in altis habitas, nec imā & humilia despicias, qui benignus es & longanimis, & misericors & pœnitens super malitias hominum.

Tu, Domine, secundùm multitudinem bonitatis tuæ promisisti pœnitentiam & remissionem iis qui peccaverunt tibi, & multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem.

Memento, ô clementissime Deus! quia non posuisti pœnitentiam justis, qui eā non indigent, & iis qui non peccaverunt; sed posuisti pœnitentiam propter peccatores, quorum primus & pessimus ego sum.

7. Tu ipse dixisti: Discite quid est, misericordiam volo & non sacrificium, nec enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Tantæ igitur charitatis pelago confidens, audebo dicere: Miserere, ô Domine! misere mei, cuius multiplicatae sunt iniuriae super omnem modum & numerum, & qui non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cœli, nec oculos sursùm levare.

Sicut onus grave gravatæ sunt super me: putrue-

runt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.

Præ multitudine iniquitatum mearum incurvatus sum vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum.

Nec veritus sum accendere omnem iram tuam, nec malum coram te facere pepercī, ausus sum & mandata tua conculcare, & sancta tua spernere, statuere abominationes, & multiplicare offendentes:

Et nunc confitens adversum me injustitiam meam, flecto genu cordis & corporis mei, precans à te bonitatem, indulgentiam & remissionem.

8. Peccavi, Domine, peccavi: iniquitates meas omnes agnosco, & denudatus ante te in spiritu humilitatis & veritatis, in confusione & erubescientia multa abominor & detestor.

Remitte mihi, Domine, remitte, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserves mala mihi, neque dannes me, ô Deus pœnitentium!

Sed propter nomen tuum propitiare peccato meo, multum est enim.

Ostende in me altitudinem divitarum bonitatis & clementiæ tuæ, indignissimum ex me salvans propter te, secundum amplitudinem misericordiæ tuæ.

Misericordias Domini in æternum cantabo: confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia

misericordia tua magna est super me , & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

In æternum confitebor tibi quia castigans castigasti me , & morti non tradisti me ; percussisti & sanasti me , confitenti aures præbere dignatus es veniamque largiri , filio perditō obviām fieri , super lacrymantem & humiliatum ante te lacrymari , prostratum sublevare , super collum trementis cadere , & profitentem se indignissimum vel admitti ad lavandos pedes servorum tuorum , ad mensam tuam revocare .

9. O immensa bonitas ! quid retribuam tibi pro his quæ retribuisti mihi ?

In æternum exultabit tibi anima mea quam redemisti : in æternum jubilabunt tibi labia mea quæ sanctificasti .

In æternum cantabo , ô Domine ! quæ fecisti magnalia mecum : Deus , quis similis tibi ?

O qui conversus vivificasti me , & de abyssis inferni iterū reduxisti me ! dormientem inter medios clerós , sortes pessimas peccati & mortis , excitasti & dealbasti , vincitum in fortitudine à vinculis absolvisti , habitantem in sepulcris nudum , nec compedibus aut vinculis compescibilem præ legione tumultuantium passionum , inter viventes sanum & vestitum constituisti .

O Deus , vere Deus salvos faciendi ! ô Domine , ô patientissime Domine , à quo solo exitus mortis

benedicant te omnes cives Jerusalem , civitatis supernæ , quos scimus gaudere super uno peccatore pœnitentiam agente !

Benedicant te de ingressu tuo in animam quam redemisti , castellum à quo fortis armatus detrusus est.

10. Sed & Sancti tui peregrinantes in spe supernæ illius mansionis benedicant te , videntes ingressus tuos , ingressus Dei mei , Regis mei , progressum regni Dei in terra , & Agni triumphos regnum accipientis .

Confitebor & ego in æternum , Domine , quoniam voluisti me , nec paratos ad escam delectasti inimicos meos super me , nec complevisti desiderium peccatoris & maligni ; sed factus es mihi in salutem .

In magnificentia misericordiæ tuæ super me cantabo Domino in vita mea , psallam Deo meo quan- diu fuero .

Jucundum sit ei eloquium meum ; ego verò delectabor in ipso solo semper .



C A P U T III.

Confessio omnium primi & pessimi
Peccatoris.

Vox Peccatoris peccata sua confitentis.

I. **C**ONFITEBOR adversum me injustitiam meam Domino, iniquitatem meam annunciaro, & cogitabo pro peccato meo.

Ad illam præ misericordia interminabili relictam post baptismum in naufragio tabulam, ad illud patratum peccatori in sanguine, sudore & lacrymis Christi, post primam regenerationem, pœnitentiæ refugium consurgam.

Loquar contra me pro Domino meo, & coram ipso, in amaritudine animæ meæ, à memetipso nudabuntur scelera mea & patebunt universæ iniqüitates meæ in actibus, cogitationibus, locutionibus & omissionibus.

Confitebor in vera cordis compunctione, in oris confessione sincera, in firmo futuræ omnimodæ emendationis proposito: addam justam carnis mortificationem, perennem vitiorum extirpationem, assiduam bonorum operum exhibitionem.

Non erubescam confiteri cicatrices quæ putruebunt cordis mei, animæ peccataricis faniem corruptionis eructantia vulnera detegere Patri spirituum,

qui novit abscondita cordium , luci quæ scrutatur
renes & pertingit usque ad divisionem animæ &
spiritus, Judici cuius in libro cuncta peccata mea
scripta sunt.

Non pigebit dicere quod non puduit facere: non
erit pudor ante Deum sponte exponere scelera mea
qui quondam invitus nudarer in die judicii, in cons-
pectu gentium omnium & populorum.

Et nunc confusionem nuditatis meæ portabo in
manifesto confessionis, ut tunc lotus appaream &
circumvestitus gratiâ redemptionis ante vultus om-
nium hominum & Angelorum.

2. Postquam in peccato conceptus fueram & na-
tus , misericorditer regeneratus in sacro fonte crevi
usque ad tempus animi bonum dijudicantis à malo ;
sed tunc , heu ! nec in via sancta ponere primos
gressus contingit infelici , nec vota christianæ vitæ
quæ distinxerant aliena pro me labia rata habere
valui & custodire : pro mandatis tuis , iniquitatis
semitas ; pro stricta , latam voluptatis viam & per-
ditionis elegi.

A primis annis mala mecum crevit cupidio libi-
dinis , omnimoda turpitudine juvenilem animam
infeliciter maculans & captivans.

Malitia , heu ! miserè supplevit ætatem , etiam-
num puer factus sum supra modum peccans pecca-
tor , & adhuc parvulus exultans visus sum ut gigas
ad currendam maledictam viam perversitatis.

Et tunc persecutus est inimicus animam meām, humiliavit in terra vitam meam, in ipso flore vitæ meæ emarcui velut lignum aridum : commovit me ira, momordit invidia, extulit & inflavit superbia: parentum imperia non servavi, objugatus rebellis extiti aut murmurator ; laudes oblatas in memetipso glorians suscepi, qui non habebam gloriari de bonis non meis ; negatas ardentiūs appetivi ; præferre me melioribus me inverecundè non timui, & seniores & magistros quandoque superbè elatus dexpexi in corde meo :

In obsequio irreverens, in sermone incustoditus, in moribus indisciplinatus, ad subjectionem rigidus, ad reprehensionem impatiens, ad laborem tardus & piger, ad vanâ & curiosa promptus, ad virtutum & morum rudimenta segnis & acediosus.

3. Nec tamen, dum sic repuleram te, repulisti me, nec immemor tuī, in oblivionem transivi coram te ; oblitum tuī dignatus es non oblivisci ; circumfulsit me lux de cœlo, affulsit mihi claritas tua, illuminasti me & attraxisti miserans.

Dedisti cordi meo donum cœlestē gustare, audire verbum tuum bonum, & dulcia super mel faucibus nostris eloquia tua, & participem fieri Spiritū sancti tui.

Interiorem & spiritualem hominem creasti & formasti, & novitium fervorem confirmasti in desiderio proficiendi : factum annorum duodecim

devinxisti me vinculis sanctis charitatis tuæ, & adhuc puerum ex tunc vovere me tibi mente & corpore, & indignum & miserum sponsare tibi, in dilectionis sanctæ tuæ ineffabili profusione dignatus es.

4. Sed in tanta gratia & miseratione, quas obtuli vices gratiarum actionis, fidelitatis & sanctimoniae? Mox, heu! à recta via deflexi præ levitate & inconstantia pravi cordis mei, & juvenilis ætatis infirmitate.

Vixi miser, cadens & surgens, peccata confitendo millies, & millies in peccata recidendo, semper emendationem promittens, nunquam tenens, sed mala malis addens, & prioribus peccatis nova semper & deteriora conjungens.

Dum sic sterilis occupabam terram, in medio tantæ infirmatis, non iram quam merueram, sed miserationis immensitatem ostendens, superasti veteres misericordias tuas novâ grandiorum miserationis effusione.

Strictiora charitatis vincula quibus tibi jam devinxeras me manifestasti mihi: suavitatem & saporem tam sancti & alti statûs infudisti: in domo tua collocasti me, ut feliciter essem tecum semper, tuaque omnia mea essent.

5. Nec sic sub illo suavi jugo sancto tuo perenniter vivere, & in domo Patris misericordiarum

& Dei totius consolationis manere, beatamque in dilectione sancta vitam degere complacuit apostolici animæ meæ: vix triennium elapsum fuerat quando substantiam omnem meam quam habui à Patre qui in cœlis est congregavi discedens, & peregrè profectus sum in regionem mundi & concupiscentiarum ejus, regionem longinquam à domo sancta Dei, à pace regni ejus, à quiete filiorum, à luce mundi cordis, & felicitate mentis in dulci & ineffabiliter amico consortio Deo consociatæ.

Moxque in illa terra maledicta quæ devorat habitatores suos dissipavi substantiam illam omnem quam acceperam, viam tenendo omnium cupidinum mundi, & carnis omnia delectamenta sectando.

Quò altior fuerat ascensus, eò profundior factus est casus: superbus animus qui refugerat suavissimum jugum, tyrannorum multorum expertus est durissimam servitutem, qui & famelicum & egentem à siliquis etiamnum arcebant animalium immundorum.

Sic, sic, infelix, omnia sancta fœdera conculcavi, omnia sacra vincula fregi, omnia dona sancta tua commaculavi.

6. In hoc perditionis abyssو & fæce tenebrarum demersus, eousquè progressus sum ut nec ultræ fas & nefas fecernerem, bonum & malum, virtus & virtutes confundere concupirem, leges Dei & hominum

hominum pariter conteinnens, & ponens in cœlum os sacrilegum, & linguam meam magnificans in superbia & in abusione.

Nunquid cœlum & terra talia confitentem sustinebunt? à tot & tam diris scandalis non pavebunt & contremiscent? nunquid sol supra facinora tanta non pluet ignem à Domino, vel retrahet lumen suum? Evidem hæc & acerbiora supra modum omnem & mensuram merentur iniquitates meæ.

Et tamen, quia sic voluit misericordia tua, Domine, non tantum pœnitentem & in dolore confitentem nunc audiunt in silentio, sed & inaudita & horrenda patrantem sustinuerunt.

7. At non solum creaturæ tuæ quæ vocem tuam audiunt & faciunt, sed & tu Creator meus, Domine, cuius miserationes semper inexhaustæ, talia audentem longanimittere expectasti.

O moriar præ horrore sceleris tam diu protelati! O moriar præ amoris vehementia hujus adeò piæ & ineffabilis longanimitatis! Adde vitæ uni vitas multas, ut immolationis multiplicitate expietur multitudo iniquitatis, scelerum abundantia, &c, si fieri potest, incessabile sacrificium peccatoris in contritione omnimodo immolati incessabilem luat peccandi audaciam & proterviam.

Heu! quo pacto dinumerabo iniquitates quæ supergressæ sunt super capillos capitis mei, quæ multiplicatae sunt super ligna silvarum, super foliis

& frondes illarum, super arenam quæ est in litore maris? Nec potui ut viderem, multò minùs ut computare sufficerem.

Infixus sum in limo profundi, in abyssō fæditatis & turpitudinis, in iniuitatis & pravitatis pelago, in baratro prævaricationis & sacrilegii.

8. In profundum malorum omnium veneram, & contemnebam: non tantum ad ultimas metas extendit se magnitudo scelerum, sed & humanas vires & potentias prætergredi concupivit supra modum corrupta voluntas; & volutatus in cœno voluptatum per pessimas & sacrilegas imagines magis ac magis criminosa incendiâ accendere non horruit anima scelestæ & perdita.

Heu! qui mores per lustra ferè quatuor vitæ animalis & carneæ! quales actus & effectus! quæ desideria, cogitationes & intentiones!

Nil bonum quod in malum trahere non tentarem: nihil purum quod non niterer subverteret: nihil mundum quod non contaminare gestiret: nihil rectum quod in obliquum non conarer deducere: nihil firmum quod concutere non præsumerem: nihil altum quod scrutari nefas ducerem: nil certum quod dubietatis fluctuatione attingeret non lætarer: nihil verum quod non falsitatis infere delectarer: nihil pium quod subsannare non aggrederer: nihil religiosum quod in ludibrium vertere non placeret: nihil sanctum quod superbè

attractare inquinata & profana mens mea non auderet.

9. Quod tam reverendum mandatum à quo non elongaverim, quin & spernens transgressus sim? Quod tam sublime mysterium quod tractare & appropinquare reveritus fuerim, opere perversus, ore pollutus, corde immundus? Quoties & quandiu amoris tributum in quo tota lex, tibi à me strictius & fortius debitum, sacrilegè transtulì à Creatore ad creaturas in immunditia & fœditate turpitudinis serviens & colens idololatricas imagines carnis & sanguinis?

Quoties assumpsi nomen sanctum etiam in testimonium prevaricationis meæ & apostasiæ, ut creature sic spreto Creatore placerem, incensum & thimiamam sanctum tibi soli debitum ad altare infandi amoris non pavens assumere?

Quoties juramento delusa veritas est, assertum mendacium? intrusus dolus ad captandas animas innocentes & pias, & subvertendum sub obtentu falsæ dilectionis salubrem & verecundum pudorem?

Quoties præ ira & disceptatione, quoties provocatis rebus, quoties & jocosè sanctum illud & venerabile nomen irreventer testatus sum?

Quoties sabbaticæ sanctificationis immemor & contemptor, cultum creature sacrificium in ipsissimis diebus & locis sanctis exhibui?

Nec ipsum corpus & animam meam , templā à Spiritu sancto in baptismo & chrismatis sacri infusione dicata , per susceptionem eucharistici sacramenti consecrata , in speluncam latronum & domicilium dæmoniorum convertere pertimui.

Nec membra mea , iam facta membra Christi , tollere , & arma tradere iniquitati ad serviendum peccato sum cunctatus , quæ exemerat & mundaverat Dominus ad serviendum justitiae in sanctificationem.

10. Ab exemplis paternæ virtutis descivi , nec timui matrem exasperare , piaque illius monita spernere : præceptorum , prælatorum & præpositorum meorum imperia detrectavi ; quin & exempla obedientiæ procaciter & irridenter exagitavi.

Patrum reverendam in fide simplicitatem , morum ingenuitatem & veteris disciplinæ piam in praxi tenacitatem haustas & præjudicatas ab infantia opiniones communisci ausus sum ; quin nec terminos illos antiquos , tam morum quam doctrinæ , quos posuerant , veneratus sum verbo vel silentio , scandalum apostasiæ scelestè conjungens.

In abyssum incertitudinis & dubietatis ducente vanâ Philosophorum neotericorum destruatrice argutiâ immersus , desideratas tenebras quæsivi , in quibus consopirentur conscientiæ terrores , in quibus nec hominem timere super terram , nec Deum revereri in cœlo , nec poenas ultra vitam .

Sceleri additas credere , nec justitiæ mercedem expectare superesset.

Et sic , cùm cognitum Deum respuissem , nec pro justo & debito glorificassem , passionibus effrenis in ignominia tradi meritus sum , & in sensum reprobum cadere .

11. O quis poterit in hoc cæcitatis concupitæ ultimo gradu torrentis iniquitatum mearum rapido & effrenum cursum describere !

Non solum in salubrem & sanctam à Domino positam metam illam , desideriorum prohibitio nem , irrupere concupiscentiæ omnigenæ , sed & passionum simul cunctarum tumultuoso incendio tradiderunt me totum .

Corrupta simul fuit in me supra modum voluntas , contenebratus intellectus , commaculata memoria , affectus inordinati & inquinati , intentiones ad pravum & immundum directæ , habitus omnes ad scelus conversi .

O quoties animum disturbavit iracundiæ rabies ! quoties infandas irrogavit injurias immisericors vindictæ cupidio ! quoties inimicitias & discordias seminavit superbia contentionis , æmulatio humanae gloriae , insestatio famæ , honorum ambitus ! quoties linguam acuit amarus animus ! quoties movit rixas , in contumelias irruptit & detrectationes ! quoties lingua plena veneno mortifero mala miscuit , bona exhaussit !

Sed, heu! quoties corpus meum, vas illud
sanctum habitationi paratum animæ ad imaginem
Dei factæ, in quo habitat ipse Deus, tradidi
desideriis immunditiae, passionibus ignominiae!

O quoties & quandiu, quot & quam variis
modis à prava peste illa carnis delectatione quæ
ab ipsis cunabulis semper mecum crevit, mihi
semper adhæsit, nec præ ætate & infirmitate
deficientibus membris deserit, infelix anima mea
maculata est dissoluta & captivata!

12. Ah, Domine! pereant dies illi tenebrosi
& noctes mortiferæ! pereat tempus illud repro-
bum miserè perditum in iniquitatibus, in flagitiis
& concupiscentiis, in foribus & inordinatione
passionum, in abominationibus pessimis & sacri-
legis! pereat tenebrosus ille tam longus incolatus
Ægypti immunda & carneæ! cum jam qui olim
filius noctis in cubilibus, & comessationibus, &
immunditiis tandiu jacuerat, in filium lucis per
inexhaustam misericordiam & omnipotentem cha-
ritatem tuam sit mutatus.

Ah, Domine! timeo vel recordationes malo-
rum tantorum: carnis illecebrarum venenosa
memoria est: fugio ante me, ad te configio: absit
retro respicere: tolle penitus, æternum tolle spe-
cies & imagines scelerum meorum: generum suf-
ficiat retinere nomen, ad odium & horrorem in
corde usque ad pulverationem contrito, usque ad

animæ divisionem pœnitenti & dolenti, & usque ad ultimum suspirium in amaritudine planetus & fletûs, adjuvante gratiâ tuâ sanctâ, perseveraturo.

13. Attamen non cessabo accusans me quia repleta est malis omnibus anima mea, quia non est crimen cuius reus non sim, reus facto & opere, reus mente & corde, reus omissione pariter & transgressione:

Reus per superbiam, exordium peccatorum meorum, quæ cunctis virtutibus exuflatis omnia substituit vitia; per invidiam, quæ & ipsa bona quibus debueram congaudere convertit in virus pestiferum; per iram & omne genus malitiæ & dissentionis in felle amaritudinis & rancoris; per inordinatos affectus terrenarum opum & delitiorum; per vanitatum omnium mundanorum exquisitionem; per voluptatum omnigenarum inexplicabilem sitim.

Confiteor quia supra modum omnem omnes animæ potentias, facultates & vires, ex habitu per annos & tempora multa subdidi regno peccati, subdidi sensus internos, subdidi & externos.

Confiteor quotidiana scelera interioris oculi nequam totum corpus meum contenebrantis: confiteor scandala semper renascentia oculorum plenorum adulterii & incessabilis delicti: & quia in eis ausus sum superbire quos juxta præceptum evangelicum debuisse eruere & projicere abs me.

14. Confiteor semper pronam gressuum dectionem in pravum, ut recederem à via veritatis & vitae, modò ad dexteram per boni abusum, modò ad sinistram per assensum ad malum.

Confiteor quia incessanter adhæsit mihi pes superbiæ, initium & radix facinorosæ transgressio-
nis, quem debuisse absindere qui erat mihi scandalum, & projicere abs me.

Confiteor quia & bonus odor Christi & chris-
tianæ vitae fætenti animæ meæ intolerabilis factus
est, & sic ex animi ægritudine odor vitae qui erat
ad vitam, mihi factus est odor mortis in mortem.

Confiteor & faporis omnimodam depravationem, qui non sapiebam nisi ex sapientia carnis quæ mors est, vel ex sapientia mundi quæ ini-
mica Deo est, nunquam quæ Dei erant, sed
semper quæ hominum.

Confiteor quia secundūm desideria carnis am-
bulans, vivens corpore, mortuus spiritu, omnia
confundebam, lucem vocando tenebras, & tene-
bras lucem, vitam querendo ubi mors, & vitam
veram fugiendo velut mortem; terrena multifaciens,
coelestia parvipendens; temporanea avidè
requirens, æterna vix attendens.

15. Confiteor quia obstupueram totus in plagis
& ulceribus, & cùm non esset à planta pedis usque
ad verticem in me sanitas, securus dormiebam in
feretro portatus in interiora mortis, velut in sinu

imperturbabilis felicitatis & pacis.

Et, heu ! tunc dicebam pax, & non erat pax, sed crudele dissidium & quotidiana mors : vulnera vulneribus addita, scelera sceleribus cumulata sospitam conscientiam in vinculis ferreis servabant in carcere : velut vulnerati quorum non es memor amplius, dormiebam miser in sepulcro concupiscentiarum mearum.

Sic circumdederant me dolores mortis, & torrentes iniquitatis præcinxerant me : dolores inferni circumdederant me, præoccupaverant me laquei mortis.

Et tu, Domine, miserator longanimis, dissimulabas dum sic ego peccabam, & post bonum cognitum & dilectum sic defeceram, & in pejora & turpiora cecideram : prolongabam multo tempore iniquitatem meam, & tu pietatem tuam, ô piissime Salvator ! & cogitabas poenitentiam & indulgentiam misero, qui tandiu expe^ct^abas & peperceras criminoso.

Venit tandem hora, & ecce dignatus es jam tertio venire ad me, errabundam ovem quærere, filium perditum respicere.

16. O misericordissime & indulgentissime pater, Deus meus ! quomodo confitebor misericordias conversionis quibus superasti miserias perversionis meæ ? abyssum pietatis quæ absorbuit abyssum sceleris & mali & ingratⁱ animi mei ? divitias in-

vestigables charitatis in quibus suscepisti pauperatatem & egestatem meam , & sustinuisti ulcerum meorum fœtorem teterimum super infundens oleum & vinum ?

Si jam defecit anima mea in confitendo peccata sua , quomodo attingere , nedum confiteri potero altissima charitatis tuæ miracula ?

Si infirmitatis meæ limitem amplecti nequit lingua mea , quomodo magnificentiam virtutis tuæ narrabo in fuscitando mortuo non quadri-duano , sed vicennario ?

Si opus proprium attingere & describere non valeo præ multitudine & altitudine iniquitatum , quomodo in opere tuo , in opere omnipotentis dexteræ tuæ laudando & prædicando sufficiens ero , qui eruisti me ex inferno inferiori , vectes ferreos & portas æneas confringens , & traduxisti me palam triumphans ?

17. O quid sum tibi , Domine , ut mei mortui & in profundo lacu demersi memor fueris , & immemorem tuum à memoria sancta tua non repuleris ?

Quomodo pro vermiculo , qui cinis est & pulvis , umbra fugax & vana super terram , à summo in imum mira charitate , ab infinito ad infinitum , ab immensitate gloriæ tuæ ad novissimam & vilissimam creaturam , à sanctitate quæ sola complacet tibi , ad tantam pravitatem oculos convertere dignatus es ?

Ecce egomet sum criminum irmanitate turbatus , conscientiae foeditate confusus , sacrilegii & prævaricationis horrore perterritus : & tu dignatus es dicere , *Confide, fili,* & sic desperationis abyssum removere & tristitia baratum complanare , in quo absorberi jam , miser , incipiebam .

Horresco ipsem perlustrans cor meum pravum & inscrutabile , mare magnum & spatiosum manibus , ubi reptilia quorum non est numerus : & tu in hoc habitaculum tuum ponere , castellum illud tibi vindicare voluisti , hinc ejicere fortem alligatum prius , & spolia ejus diripere , hanc requiem tuam facere , hanc eligere mansionem , & hic habitare in miseratione ineffabili ; ne amplius unquam vacans inventa , tibi & sibi lamentabiliter subtrahatur , fiantque novissima ejus pejora prioribus :

O altitudo charitatis & longanimitatis , & beatitatis , & clementiae , & miserationis !

18. Sed , ô qui exaltas me de portis mortis , ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion ! vide humilitatem meam de inimicis meis .

Vide fragilitatem meam maximam , qui per tot & tam varios itus & reditus inter mundum & te semper incertus fui , miser , incessanterque vacillans .

Ergo , ô Domine ! quantum confido & confidere debeo in te , tantum diffide de labili servo nequam ; in chamo & fræno maxillas meas cons-

tringe , qui nondum approximavi ad te in indefectibili vinculo charitatis.

Heu ! etiam dum interrogatus respondeo quia amo te , & existimo fari quod sentio , & sentire quod dico , contristatus vereor ne mox & ante galli cantum abnegem te , qui non semel ut Petrus , sed millies Dominum meum , cui me discipulum spoponderam usque ad necem , usque ad ignem , abnegavi & respui ad vocem ancillæ illius peccataricis carnis meæ , quam passus sum tandiù turpiter dominari super me.

19. O Domine ! suscipe me , & quidquid in me est voluntatis & arbitrii posside totum , nec mihi ultrà possibile sit separari à te.

Etsi ovis ingrata , toties perdita , & semper indocilis fuerim vocil tuæ , ô Pastor benignissime ! indulge omnia , & parce , quoniam adhuc & adhuc currere post me dignatus es , ut reduceres me , & in ovile sanctum tuum portasti super alas amoris.

Pone me inter oves illas quæ audiunt vocem tuam & sequuntur te , & quas nemo rapere poterit de manu tua.

Heu , Domine ! in medio catulorum leonum sum , & dormio conturbatus à rugientibus circa me.

Mundus allicit , scandalum concutit , irridet incredulitas , habitus retrahit , diabolus suggerit , exemplum seducit , esca fallit , poculum occidit ,

Serpit undequaquè venenum aspidum insanabile.

At inter tanta pericula , tot inter hostes , unum supra cunctos formido , quem à cunabulis expertus sum , hominem malum & pessimum , infidissimum , ingratissimum , inconstantissimum , qui sum egomet.

20. O Domine ! libera me à meipso , & à me transfer me in te : ô unum illud adde immensis misericordiis tuis ! Omnia dono , omnia voveo , omnia dico & consecro ad pedes sanctos Domini mei pro illa pretiosa margarita : mihi mori , ut incipiam vivere tibi , absque pavore revertendi ad veterem hominem , & ad malum unquam divertendi.

O piissime Salvator , per quem omnia in humili & sincera confessione lavantur ! suscipe confitentem abyssum miseriæ suæ , & abyssum miserationis tuæ : suscipe & parce omnium peccatorum pessimo , ut in æternum glorificeris in misericordiis tuis , & videant omnes gentes & populi quia apud te non est , vel in pondere , vel in numero , scelus irremissibile ; nec est differentia in respectu misericordissimi Dei cœli liberare in multis & in paucis , qui dignatus es audire & suscipere deprecationem . meam . Amen .



CAPUT IV.

Consiliarius unus de mille.

Vox Peccatoris pænitentis.

1. **D**OMINE Deus meus, confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum, & delicta mea creverunt usque ad ccelum.

Peccavi graviter usque ad diem hunc, & in iniquitatibus meis tradita est anima mea in captitatem & in rapinam, & in confusione vultus.

Sed etsi nunc quasi parùm & ad momentum facta sit deprecatio mea ad Dominum meum, audi deprecantem ex toto corde, & inclina super me misericordiam tuam, ut des mihi vitam à regione mortis verè reverso, ut sublimes domum tuam in me & in ea habitaculum sanctum ponas: extrue solitudinem hanc cordis mei, & circùm sepem & septum ædifica, ut jam carni & sanguini, mundo & concupiscentiis valedicens, in spiritu & veritate vitae interioris tibi incipiam servire.

Da, Domine, paxillum in via hac arcta & nova, in quo sustentetur infirmitas mea, ne lassescant genua mea: lucem præfer, ne sicut ovis oberrem in pascuis tenebrosis.

2. Provide Magistrum qui in sapientia præsit

& dirigat me ; qui potum lac det primum modò genitu infanti, & vix unius diei in gratia & lumine fidei & charitatis ardore ; paulatimque crescentem sustineat & soveat cibo solidiori, & deducat usque in virum perfectum :

Qui non in sublimitate sermonis, nec in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis doceat me, sed in ostentione spiritus & virtutis ; qui cum Paulo non aliud judicet se scire nisi Jesum Christum & hunc crucifixum :

Qui sapientiam loquatur non hujus seculi nequam, nec Principum hujus seculi qui destruuntur, sed sapientiam Dei in mysterio, sapientiam quæ abscondita est, quam Principes hujus seculi non intellexerunt in persona Christi obedientis usque ad mortem, mortem autem crucis :

Qui non spiritum mundi acceperit, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciat quæ à Deo donatae sunt animæ ad Christum revertenti, & verè pœnitenti :

Qui in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia noverit comparare :

Qui noverit, ut sapiens Architectus, fundatum ponere, deinde & plantare & rigare, agriculturam & ædificationem Dei adjuvare :

Qui addat & orare ut eversa Dominus ædificet, ut & ipse ædificata custodiat, & incrementum det :

Cujus gloria hæc sit in simplicitate cordis & sinceritate Dei , in gratia Christi , non in sapientia carnali , conversari in hoc mundo.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

3. Fili , ecce Dominus audivit deprecationem tuam , ipse providit ductui tuo , ipse qui apparuit tibi in via qua fugiebas à voce Domini , dum elongares à Jerusalem , & percussit ut sanaret te , misit me ut visum recipias & conforteris à Spiritu sancto , cadantque ab oculis tuis squammæ cœctatis mundanæ & carneæ :

Audi quæ oportet te facere pro nomine Jesu , qui misertus est tui , & quanta expectet à te , pro ineffabilibus miserationibus suis super te :

Audi vocem spiritualis duxtoris ; attente & silenter disce vias Domini , donec & Dominus ipse dignetur alloqui te , donec verè conversum & renatum ex Spiritu introducat usque ad interiora velaminis :

Disce interea , disce quæ ipse Dominus dare dignatur pro te , ut nec deficias , nec oberras in via spiritus , sed quotidiè , adjuvante Domino , in melius feliciter proficere valeas.



C A P U T V.

Ascensiones in valle lacrymarum.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. **M**IRABILIS Deus in omnibus operibus suis,
sed supra modum mirabilis, etsi non attendantur
mirabilia gratiæ nec percipientur oculis carnis, in
conversione peccatorum quos de tenebris & umbra
mortis eripit, ut ad sanctum lumen suum veniant
& ambulent in novitate vitæ :

Mirabilis in mutatione voluntatum ipsorum,
dum eligunt viam pœnitentiæ & vitæ ordinatio-
nem :

Dum respuere incipiunt quod diligebant, &
diligere quod respuebant: dolere undè lætabantur,
& lætari undè dolebant : amplecti quod timebant,
& timere quod amplectebantur : sequi quod fu-
giebant, & fugere quod sequebantur : optare quod
contemnebant, & spernere quod optabant.

A Deo aversus homo mundum diligit, & quæ
in mundo sunt: ad Deum conversus mundum
respuit & concupiscentiam & superbiam ejus.

Prima dies, dies justitiæ.

2. Ad Deum conversus ad illum demum trans-
fert totum cor suum qui prior & antequam fieret,

diligens illum, psalmavit in utero matris, & insufflavit in eum spiraculum vitæ:

Qui servum factum liberavit, & venditum sub peccato semel & iterum emit & redemit magno pretio:

Qui leprosum & pollutum mundavit, non in lavacro Siloe per ministerium Angeli, sed in cruce Calvariae & proprio sanguine;

Qui plagis impositis semivivum relictum linivit vino fortitudinis & oleo dulcedinis, & pio Stabulario dedit sanandum propriis sumptibus:

Qui famelicum & exhaustum invenit & refecillavit pane subcinericio mirabiliter confortante, & vires suppeditante transeundi usque ad montem Dei.

Jam non delectat & placet ambulare in stolis, epulari splendidè, vestiri bysso & purpurâ, in primis cathedris sedere, de magisterio exaltari, Dominus & Magister vocari:

Jam non juvat multa sibi habere reposita bona in mundo isto, in gratia amicorum, in abundantia propinquorum, in multitudine divitiarum.

Hæc omnia, ut de illis omnibus holocaustum suavissimum & integerrimum fiat, in igne altatis posita sunt ab illo qui toto corde mundum respuit, qui toto animo id solum intendit, ut Christum lucrifaciatur.

3. Hæc mutatio, dexteræ Excelsi mutatio est:

nova creatio est in ordine salutis & gratiae :

Creationis opus in sapientia summa , in quo quemadmodum in ordine naturae , non uno die vel momento (etsi potuerit Deus) ab ipso creatus est mundus , sed die tandem septimo compleere opus suum & requiescere sibi complacuit , ita & per dierum successionem & certos gradus conversionis opus perficit , & ad requiem devotionis tandem conversum deducit completo circulo usque ad sabbatum .

Beatus cui datum est completere feliciter opus Dei & suum , opus operum , opus summum ; illud enim unum verè est & unicè necessarium .

Absit ut in his , ô misericordissime Domine ! donis sanctis tuis vel fructibus & proventibus gratiae ponatur ab homine humana methodus , terrestris scala , temporanea maturitas .

4. Etenim hoc scimus & confitemur , ô clementissime Jesu , miserator peccatorum ! quia & absque mensura & in pondere & mensura quam novit Spiritus solus , qui scrutatur profunda Dei , in sinum peccatoris toto corde revertentis ad te , diffundis thesauros gratiae tuæ .

Confitemur quia Spiritus spirat ubi vult & prout vult , nec esse miseri homuncionis intrare in potentias Domini , & investigare vias ejus .

Verum quemadmodum à sanctis viris edocitis vias Domini , in oratione certa methodus , & in

recognitione sui certus meditandarum veritatum ordo piissimè suppeditatur , multumque ad profectum spiritualem juvare perhibentur , ita & in conversione statuuntur certi gradus apud spiritualis vitæ Magistros , quos omnes & prout vult & ubi vult transilire valet & transcendere , transilit & transcendent ineffabilis charitas Salvatoris , præpotens complere in una die & in iœtu oculi , in abysso cordis nostri opus dierum & annorum multorum , sœpè renovans per infusionem sanctæ dilectionis , quæ perfecit apud Simonem Pharisaum in corde peccatricis quam attraxerat miserans .

5. Dignare ergo , Domine , conatus nostros & voluntatem bonam benedicere , qui dum miser & egeni sublimia illa dona & data perfecta humiliter & perseveranter postulamus , veriti modum gratiæ ponere in expectando auxilio sancto tuo , in viis tritis & communibus , adjuvante misericordiâ tuâ , simpliciter ambulare docemus , & ambulamus .

Juxta mandatum sanctum tuum , eligentes recumbere in novissimo loco , donec juxta beneplacitum tuum digneris in convivio sancto tuo ad gradum illum nos vocare , quem prout voluisti , misericorditer & sapienter parasti servis tuis , pro vita præsenti & futura , pro tempore & æternitate .

6. Prima dies est in qua miserante Deo oritur

sol justitiæ in animo peccatoris, internis ejus ob-
tutibus offertur horrendum Dei judicium, additur
que ad terroris vinculum brevis numerus dierum
vitæ hujus & finis incertus.

Ad vesperam illam in qua tenebræ cordis illu-
minantur demoratur fletus; sed & nunc non dedig-
natur lætitiam jungere matutini misericors Deus,
ut fiat vespere & mane dies unus, auditam faciens
nobis misericordiam suam in novitate vitæ.

Hæc prima dies, dies nativitatis est, dies re-
surrectionis in misero peccatore ad tubulam post
nausfragium relictam recurrente:

Quandò frustrà renatus in fonte sacro, & post-
quàm gustavit donum cœlestis, iterùm atque iterùm
in vita mundana & seculari infeliciùs contaminatus
est.

Hæc est dies justitiæ in qua cuique quod suum
est tribuere incipimus, nobis miseriam, Deo
summam misericordiam, & in qua ad fervorem
pœnitentiæ & odium peccati animus excitatus
ardet simul & horret.

Secunda dies, dies prudentiæ.

7. In secunda die, prudentiæ radio illuminante
oculos ejus, contemplatur quàm sit periculosum,
si inter seculi turbas & negotiorum tumultus pœ-
nitentiam agere aggrediatur:

Ubi consuetudo abripit, occasio seducit etiam

non volentem, ubi undique, hinc venenatis persuasionibus, illinc exemplis etiam pejoribus, allicitur ad pristinos mores:

Ubi paucos approbatores viæ Domini, raros laudatores novæ vitæ, ubiquè detrectatores, illusores & derisores multos experietur:

Ubi tener adhuc & infantulus difficilè mundanorum innumera jacula sustinere, & brachio indefesso scutum contemptus contrà pretendere poterit.

Meditatur quantas & quam seductorias præser-tim in hoc seculo nequam opportunitates & occa-siones peccati offerat mundus & ingerat:

Quam debilis ad illas sit humanus animus, & maximè si in peccati consuetudine sit nutritus.

Salubri timore correptus, initiatuſ viis Domini, statuit à seculo fugere in solitudinem, vel omnimodâ, vel saltem cordis & animi elongatione perfeclâ, dum in totum non potest, obstantque cor-poreæ evasioni indissolubilia vincula.

8. Et tunc cum Propheta dicere incipit: Odivi cœtus malignantium, & cum impiis amplius non sedebo:

Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc panem meum non comedam; qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non diriget in conspectu oculorum meorum

Malignus & detrahens secretò proximo suo non habitabit mecum; oculi mei jam ad fideles terræ,

ut sedeant mecum , vel ut ipsis consedeam.

Ex tunc pravorum consortia vitat & abrumpit ; exteriori & interiori reformationi palam & aperte , longe ab inquinamentis societatum totum , se addicit & confert .

Verum quia non omnibus initio conversionis haec fortitudo data est quae novit mundum calcare , hominumque sermocinationes & rumores vanasque sententias nihili facere :

Juxta mensuram fortitudinis suae fatigere quisque debet , ut in securitate & pace ponat altè fundatum illud supra firmam petram .

Tertia dies , dies solitudinis .

9. Fugiendæ statim & imprimis sunt periculosæ societas & prava contubernia :

De civitate fugiendum in aliam civitatem , si fas est , vel de loco in locum alium :

De urbe in campos , maximè illi qui conscius sibi est debilitatis suæ , levitatis & inconstantiæ .

Qui novit consuetudinis imperium & cordis infirmitatem , animumque suum ita in malum primum , ut à piscina salutari se mox immergendum fore in cœno & volutabro , oblatâ occasione , non dubitet .

Ecquis sub obtentu negotii , & equidem negotii maximi , non potest ita fugere , & tandiù immortari longe à peccatoribus , donec in gratia &

sanco proposito confirmatus, si durâ necessitate cogente reductus fuerit in medio Babylonis, ab iniquorum colloquiis jam amplius non habeat undè formidet, nisi ut cavendum sibi sciat:

Jamque reversus novus homo dicere valeat.
Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

10. Feliores certè quibus seculum omnino relinquere datum est, & qui contra propriam imbecillitatem queunt pariter pugnantes socios & auxiliares quærere in cœnobiticis castris, vel solitariis cellis.

Sed cum non omnibus hæc pateat via, immo compluribus occlusa sit, nunquid & illis non restabit via morum conversioni & mandatorum Dei observationi?

Praya facta sunt in directa, & asperas vias convertit in planas Verbum caro factum: restat ergo patens iter; & quamvis strictum semper & angustum, dilatatur in bonitate & misericordia illius de quo canit Psaltes sublimis: Latum mandatum tuum nimis.

De medio deliciarum & vanitatum potest quis sæpè in solitudinem facile & promptè transire.

Potest, relicta urbe, ad campos suos revisendos se transferre, jamdiu forsitan moerentes, sicut & heu! spiritualia animæ prædia præ Domini absentia lugent & squalent; & sub obtentu negotiorum

rum secularium, non bonorum terrenorum curis propinquior, sed sibimet proximus & præsens factus, animæ suæ subvenire multò magis languenti & miseriùs deficienti:

Dignæ tamen prorsùs quæ relictis & dimissis omnibus, omni sollicitudine & vigilantia foveantur, ut reviviscat & custodiatur in vitam æternam:

Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?

11. Fortior demùm factus ab eremo ista privata in mundum prodiens, non ex tædio novæ vitæ, nec ex præsumptione vel curiositate, sed ex necessitate, dummodò confidat in Deo, etiamsi per fornacis medium transire opus sit, salvus & incolmis pertransibit.

Tunc ignem excutiet Angelus Domini, sicut in fornace Nabuchodonosor, & dabit Dominus ventum roris flantem, ut nec tangat eum flamma, nec capillus capitis ipsius erit adustus.

Frustraque tunc venient flumina, & flabunt venti, & irruent in domum istam: quæ fundata super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, lapidem angularem, firmam petram, Christum Dominum, immota stabit nec cadet, juxta verbum sanctum ejus.

Primum ergo altè fundamenta ponenda sunt, sed & sumptus ædificii computandi, ut qui incipit ædificare, adjuvante Dei miserantis gratia & auxilio, possit & consummare. Hæc tertia dies, solitudinis dies est.

Quarta dies, dies temperantiæ & discretionis.

12. Sed, heu! nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborabunt qui ædificant eam; & nisi Dominus ædificatam custodierit, frustra vigilabit qui custodit eam.

Tunc ergo, miserante Domino nostro Iesu Christo, auctore & consummatore fidei & salutis nostræ, illucescat quarta dies necesse est, dies temperantiæ & discretionis, ut quæratur quomodo contra carnis oculorumque concupiscentiam, & superbiam vitæ, voluptatis, curiositatis & elationis motus temperari possint & refrænari.

Imponat sibi conversus regulam à qua deviare impunè non liceat, quæ primùm nec ampla, ne perditionis latæ viæ proxima sit, nec stricta nimis, ne delicatus animus asperitatem ejus ægrè portet, & quasi mordeat frænum ferreum.

Zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, orat Psaltes, quemadmodum olim Elias, ut in chamo & fræno maxillæ eorum constringantur qui recusant approximare ad Deum.

Verum ita ipse Salvator piissimus, in hunc

mundum veniens, benignum exhibuit se homini peccatori, qui cum in honore imaginis & similitudinis Dei factus esset, comparaverat se jumentis insipientibus, & illis similis fieri non horruerat, ut illi quodammodo condescendens in primis gressibus viæ aptum pabulum ipsi in præsepio fieri dignatus sit:

Dum factus caro de qua dicit Propheta quia sœnum est & velut flos sœni, reponi voluit pannis involutus infans Deus, panis Angelorum, cibus Christianorum, in præsepio jumentorum.

Quando tempore ergo adhuc parvulus est in Christo, lacte nutrientus est, non duro cibo.

13. Paulatim prout crescat usque dum ex beneplacito Dei mutetur in virum perfectum, libenter jugum Domini magis ac magis portabit, & ex charitate quæ diffundetur in cor, quo onera graviora sibi gradatim imponet, eo levius sanctum jugum experietur & sentiet.

Ardens sit & fervens, & regulæ suæ fidelis, nec etsi cadat aliquoties ex infirmitate, remittat animum:

Verum fortior resurgat & invalescat; ex lapsu fiat diffidentior, magisque in Deo stet; nec sibi quidquam credat, sed Deo opus totum tradat, confidens in eo, quia qui dedit velle dabit & perficere:

Et fortiter volens, fortiorem magis ac magis

à Deo postulet humiliter voluntatem , à quo omnis voluntas bona , & apud quem thesauri sunt indescientes misericordiae & gratiae.

14. Postulet imprimis orationis gratiam , ut assidue possit recurrere ad primum fontem illum viæ Domini in deserto peregrinationis hujus.

Postulet à Domino Jesu ut doceat illum orare quemadmodum Joannes olim docuit Discipulos suos , & quemadmodum ipse Magister optimus docuit Apostolos suos.

Et dabit illi Dominus scientiam illam Sanctorum , tribuetque insuper ut sapore mirabili sibi sapientia scientia hæc super omnes vanas & curiosas doctrinas Philosophorum & Sapientium mundi hujus.

Initio tyrocinii sui ad contemplationem admitti non præsumens , id faciat quod in se est , & discat saltem vel conatu humano meditari.

Injuriarum tenax animus , heu ! infeliciter nimis meditari novit vindictam , avarus vias quæstus contemplari & providere.

Heu ! insani amores & idololatræ passiones creaturæ paucis diebus docent & juvenem meditari multasque secum vertere noxias & venenatas cogitationes , solitudinem quærere , & seductoræ contemplationi insistere cuius finis mors est.

Nunquid non poterit amor Dei , amor misericordissimi Patris qui creavit nos , excessus Filii qui redemit nos in sanguine suo , fervor Spiritus

qui sanctificavit miseras & pollutas animas nostras, pietas, ardor & clementia tanta Dei vocantis nos de medio tenebrarum in lucem suam sanctam, quod praestat animalis, carneus & brutus amor?

15. Qui meditari non valet, vacet lectioni: attentè gustet & inferat in intimos mentis & cordis recessus utilia & sancta monita à Patribus tradita.

Ad fontem sacrorum bibliorum recurrat quandoque cum omni humilitate, si fas est ex gradu, vel ex licentia, cùm dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

Sed ex Patribus aliquem eligat vitæ ductorem & rectorem, cui ut præceptor i[n]haereat, cujusque præceptis totam vitam suam studeat conformare.

Inter hos præferat cuius verba cordi dulcius sonant, & inter scripta sancta illorum, illa præcipue quæ magis ad mores componendos pertinent, quæ & pleniùs & latius spiritualis hominis qui ardet sincerè ambulare cum Deo, gressus informent.

Ex his selectis documentis cœlestibusque doctrinæ menti pabulum instrue, attentè legens; multum legens, non multa.

Humilis lectio mediationi viam parabit, & meditationi assiduæ mox jungetur contemplationis usus & amor.

16. Sed ita temperanter & discretè ordinanda sunt orationi tempora sua, ut adeò necessarius quotidianus animæ cibus nunquam ad nauseam,

nunquam ad tedium usque, vel gravamen accedat.

Paulatimque à quadrante ad horam integrum transitus fiet, Deo juvante & misericorditer prouidente.

Initio lectioni meditatio adjuncta sit; paulò post meditatio lectione sustentetur; exinde prout opus erit utraque mentem simul & cor spatio pascat præscripto.

Si genibus positis diutiùs orare durum initio sentiatur, stans vel sedens humiliter ora in abscondito cubiculi tui, sed sàpè prostratus memento Dominum deprecari, ut simul vires corpori, & menti fervorem suppliciter magis orandi & prolíxiùs, dare dignetur.

17. Disce & jejunare juxta vires tuas, bonaque orationem jejunio conjungere, & in omnibus corruptam naturam frangere.

Verùm imprimis esto fidelis promissis & statutis tuis, quibus velut Magistro oportet subjici, ut qui præ nimia libertate Domini jugum sanctum excus sit, per subjectionis frænum & obedientiae spiritum, iterum mereatur ad illud portandum admitti.

Nec spiritualis viri apud quem velut ad pedes Christi, cuius legatione fungitur, depositisti in humili confessione sordes vitæ tuæ, erubescens discipulus fieri, si præ oculis habeas quia ipse Dominus Jesus abjectus & subjectus exemplo præivit Discipulis suis, factus subditus & obediens:

Subditus viro justo Joseph fabro, cuius filius putabatur, subditus & matri suæ Mariæ, etiam postquam crescens ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines, factus est vir.

18. Sed in his corporalibus exercitationibus quibuscumque, vigiliis, jejunii & aliis pœnitentiis, dum quis benè currit, oportet ut etiam currat discretem, ne præ nimio fervore, & dum præ delectatione novitiam affectionem sequitur, vires & corporis & mentis extinguat.

Qui nimius est fructum boni operis perdit, sicut & qui tepidus est.

Si per immoderatam pœnitentiae & laboris exercitationem destruatur corpus, necesse erit posteà circa debilitati corporis curam occupari, neque id erit absque magno exercitii spiritualis detimento.

Igitur ne quid nimis, in corporalibus imprimis; in spiritualibus aliter, & raro indiscretionis vitium formidandum in exercitiis patientiae, humilitatis & devotionis.

19. Quæ circa corpus versantur, juxta corporeæ naturæ facultates & limites, prudenter & cautè restringenda sunt.

Quæ circa spiritum & sublimes animæ facultates, metam habent immensam in inquisitione Dei; ibi in immensum libet tendere, & in infinitum procedere voluntati charitate succensæ.

Nec ibi invenitur limes ultrà quem charitas cessare queat patiens esse, benigna esse, cognitio sūi humilis & abjecta, amor Dei temperatiū ardens, & Deum remissius intendens.

Cujus autem per temporalium nimietatem exercitorum deficit spiritus, vel languescit corpus, in Deum reus est, qui simul per indiscretionis vitium corpori abstulit effectum boni operis, spiritui affectionem, proximo exemplum, Deo honorem suum.

Ita ut etsi affligendum sit corpus, non tamen conterendum, & si cura carnis non sit agenda in concupiscentiis, sobriè tamen & cum disciplina agenda est.

Ne pro exercitatione corporali quæ ad modicum valet, debilitetur & evanescat pietas quæ ad omnia utilis est.

Quinta dies, dies patientiæ.

20. At diei huic fortunatæ in qua toto corde jugum Domini quærit conversus, in qua gaudens arctam vitæ quotidianæ disciplinam sibi libenter imponit :

In qua jam ambulans incipit & pugnare non quasi in incertum vel quasi aerem verberans, sed quâ diligentia animam sursum evehit ad Deum, eadem & deorsum in servitutem corpus redigit, membraque quæ fuerunt arma iniquitatis, justitiæ facit inservire, diei huic suavissimæ, primæ pacis,

fervoris primi , proxima est & finitima dies tribulationis & probationis.

Et hæc ipsa quinta dies patientiæ assignatur , in qua sola possidebit conuersus animam suam in medio temptationum.

D 21. Revocabit mundus , & plangens adulabitur primùm , moxque , si contemnatur & declinetur , fremet & irascetur , variaque jacula diriget in sufficientem & spernentem :

Sibilabit altè & extrinsecùs irridebit ex ore , etsi maturius & intùs stupescat in corde.

Rugiet diabolus & insurget , sumensque tela ignita , domum circumdabit de qua exivit , & si vacantem invenerit , vœ illi !

Frustrà ornata erit & mundata , nisi & qui fortior jam superveniens expulit hostem antiquum & spolia à latrone direpta resumpsit , ibi fixerit habitaculum suum.

Murmurabit caro : inimici hominis domestici , ejus sensus , semper ad malum proni , concupiscent adversus spiritum , & eò periculosius , quò & intimius veneficum poculum cordi infundere consueverunt.

Hæc omnia bella , vel sunt verba volantia mundanorum , vel propriæ imaginationes , vel suggestiones diaboli , vel motus inordinati corporis , & cordis in pravitate nutriti.

D 22. Sed verba yana quid sunt homini qui veri-

tatem inquirit? quid contemptus mundanorum illi qui Christi Regis, à mundo spreti & illusi, regnum quærit, quod non est de hoc mundo?

Quid rumorum strepitus per paucos dies illi qui non vano æternitatis nomini apud homines, sed beatæ æternitatis veritati, reliquos omnes dies paucos & incertos vitæ suæ, tandem sapienter elegit consecrare?

Quid & odia, & persecutio[n]es, & tribulationes, & angustiæ à mundo suscitatae illi sunt qui jam non desideriis hominum, sed Dei voluntati, quod reliquum est temporis in carne vivere vult animo pleno, & qui contemplans assidue Christum in carne passum, forti illa quotidiæ cogitatione armatur?

Nunquid momentaneum & leve tribulationis non patietur libenter peccator in terris, per quod propitiantibus meritis Redemptoris non modò ignis æterni cruciatus, & fletus, & stridores dentium sempiternos compenset, sed & in superabundantia immensi pretii quo redemptus est, æternum sibi gloriæ pondus comparatur in cœlis?

23. Passi sunt justi omnes, & per tribulationes probati.

Passus est ultra quod non datur apud homines pati ipse justitiae fons, noster Dominus Jesus: nunquid ex levis tribulationis occursu murmurabit peccator justitiam inquirens?

Immersus in tribulationum terrenarum omnium

pelago, simul & percussus ulcere à planta pedis ad verticem, vir rectus coram Deo, nec consolatores invenit inter fidissimos sibi quondam amicos, nisi qui animam ejus novo cruciatu afficerent, in detrahendo justitiae suæ, cuius sibi conscius, in Deo stabat confidens:

Sed & uxor ejus, pro cumulanda tentatione, viro desolato simplicitatem & fiduciam suam in Deo exprobrabat amarè, loquens velut una de stultis mulieribus.

Exemplum per quod roboraretur antè non habens, vir ille simplex & timens Deum, in tribulationibus tantis retinuit innocentiam, & quo animo suscepserat bona de manu Domini, mala pariter suscipiens, sustinuit fortiter.

24. Captivus in Ninive Israelita fidelis, etiam amissâ omni substantiâ suâ ex imperio Regis, qui & illum insuper occidi jusserat, non ideo desiit ab officio contribules sepeliendi.

Quem arguebant dum sanus & integer fuerat amici, proximi & cognati, antequam cæcus fieret, mox vehementius in cæcitate sua virum sanctum irriserunt, & vitam ejus contempserunt, quin uxor ejus addidit & illi exprobrare spem suam.

Verum in his tantis tribulationibus non est, inquit Scriptura, contristatus contra Deum, sed immobilis in timore Dei permansit.

Imò & gratias egit Domino omnibus diebus, ab

illo vitam illam expectans quam promisit his qui nunquam fidem mutant ab eo.

25. At si de typis & umbris, ad verum Job, ad exemplar nobis in monte exhibitum Dominum Jesum oculos convertamus, ad incolam factum miseri mundi hujus, quem sui non receperunt, & cuius incolatus in gemitibus & suspiriis prolongatus est in terra aliena :

Nunquid & in omni genere tribulationum, & probationum, & temptationum, normam dignatus est ille misericordissimus Dominus exhibere se metipsum servis, qui fuit per omnia tentatus pro similitudine absque peccato ?

Amaras ille proximorum incursions sustinere non est dignatus, ut & in minimis & in maximis subeundis tribulationibus viam ostenderet, per quam ejus vestigiis inhærentes possimus & cum illo intrare in gloriam suam.

26. Nonne amici ejus & proximi adversus illum appropinquaverunt, dum qui vocabantur fratres ejus, nondum credentes in eum, malignè dicebant ei : Transi hinc, & manifesta te ipsum mundo.

Nonne concives ejus Nazareni, quandò transiit Dominus Jesus de privata & abscondita vita ad evangelizandum pauperibus, & sanandos infirmos, scandalizabantur in illo, & dicebant : Undè huic sapientia hæc ?

Quin & addebat : Nonne hic est faber filius Ma-

riæ, & fratres & sorores ejus hic nobiscum sunt?

Et sic despiciebant quem viderant juga conficien-
tem & aratra, & quem litteras non dīdicisse sciebant.

27. Nonne postquām & inviti mirati fuerant
verba gratiæ quæ procedebant de ore ejus, mox
repleti sunt irâ adversùs eum, quando exprobrans
incredulitatem illorum, virtutes quas fecerat in
Capharnaum in patria sua fieri non posse, aperte
dixit, & exemplo Prophetarum confirmavit?

Et tunc nonne eò usque vitam ejus, quem fabri
filium nominabant, vilem reputavere, ut indem-
natum ductum ad superciliū montis super quem
ædificata erat Nazareth, præcipitare statuerint, &
jamjam ad facinus perpetrandum parati fuerint,
quando transiens Jesus per medium illorum ivit,
quia nondum venerat hora ejus?

28. Nunquid non modò ab inimicis suis, invidis
Scribis & Pharisæis Samaritanus & dæmoniorum
habens dici voluit, seductorque vocari à Pontifi-
cibus, sed & à proximis secundūm carnem furio-
sus reputari, ita ut legatur apud Sanctum Marcum
exiisse suos tenere eum dicentes, quoniam in
furem versus est?

Si Patrem familias Beelzebuth vocaverunt, si
Dominum & Magistrum in Principe dæmonio-
rum ejicere dæmonia, blasphemantes in Spiritum
sanctum, affirmare non horruerunt:

Si filium in quo novissimè dignatus est Deus

nobiscum loqui, Samaritanum, & dæmonium habentein, & seductorem nominaverunt, & eō usque processerunt, ut velut furiosum recludere intenderint ipsum æternæ sapientiæ fontem, in terris visum, & hominibus vinum & lac virtutis & sapientiæ cœlestis propinan tem gratis:

Quantò magis domesticos & servos ejus fuggitari necesse est! Nunquid ubi spernitur magister, servos & discipulos honorari fas est? Absit.

29. Nunquid & ipsum concivem suum Nazarenos, sed & alios eundem Dominum expulisse conjici potest, quem etsi per triginta annos apud primos, ut fabrum & agricolam educatum; etsi & in ipsorum urbicula & alibi domūs possessorem in qua legitur Andræam & alium Discipulum exceptisse, audimus postea dicentem, dum evangelizabat evangelium regni Dei, quia vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem Hominis non habet ubi caput reclinet.

Sed nunquid à Judæa, ubi volebant illum interficere, legimus Dominum Jesum in Galilæam transivisse, rursùmque anno ultimo antequām veniret hora baptismi, quo ardebat baptizati, longè à Judæa & Jerusalem, & etiamnum à Galilæa, migrasse scriptum invenimus in Ephrem juxta desertum usque ad tempus mortis suæ?

Sic ergo & in patria, & in Judæa, & in Jerusalem contemnitur, & persecutionem ubiquè pa-

titur, apud notos & ignotos, propinquos & extraneos, Galilæos & Judæos, Nazarenos & Hierosolymitanos:

Sic qui veniens velut agnus mansuetissimus nec linum sumigans præsumpsit extinguere, nec arundinem quassatam confringere, sed hoc tantum ut ubique pertransiens benefaceret, sanans omnem languorem & omnem infirmitatem, odio habitus fuit gratis, & pro eo ut diligerent eum detraxerunt ei, & odium pro dilectione sua retribuerunt illi.

30. Sed hæc quid, si attendatur excessus ejus, ubi ultra modum omnem affectans pati, per immensæ & incomprehensibilis charitatis providentiam visus est in calicem quem erat ad faciem bibiturus, quidquid acerbius, quidquid amarius, quidquid durius, quidquid intimius animum pungens congregere & adunare, ut obrueret humanitatem sanctam suam quasi sub pondere humanarum omnium gravitatum & tribulationum?

Ubi idem & vir dolorum omnium & vir opprobriorum universorum flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis manus & pedes perforatus, & nudus suspensus cœlum inter & terram, velut utriusque anathema:

Ubi & hoc addidit ut illuderetur & blasphemaretur in desolatione sua, sinens & dimittens ut imprecaretur ei & malediceret populus universus, à Pontificibus ad vilissimam plebeculam transeuntem

& super ipsum caput moventem, à militibus crucifixoribus ad alterum ex latronibus simul crucifixis cum eo.

31. Ut desereretur ab amicis & notis in miseria, oblivioni daretur, tanquam mortuus à corde, etiam ab iis quorum animas salvas fecerat simul & sanaverat corpora :

Ab Apostolis scandalizatis relinquatur, à ferventiori ter negaretur, ab altero quondam & alias adhortante Discipulos Dominum sequi & mori cum eo, pertinaciter post resurrectionem cum mortuis dormientibus in sepulcris confunderetur :

Ab alio semper perverso & incredulo, etsi justus habitus traderetur, & ut vile mancipium ignominiosè venderetur :

In flagellatione tam dire cæderetur, ut & Index plebem seditiosam & sanguinis avidam se tandem satiaturum fore non dubitayerit, dummodo innocentem & justum illum ex invidia traditum cum tanta fævitia & ignominia jam correptum oculis ipsorum præsentaret :

In accusationibus hanc calumniam pateretur, ut non simpliciter reus mortis judicaretur, sed velut impius, velut blasphemus, velut sacrilegus :

De coeru Judicum tam immaniter expellereur, ut sputis illitus, colaphis cæsus, ab ipsis cum horrore discedentibus tradi voluerit ludibrio servorum & ministrorum, &, velatâ facie, ab ipsis iterum

cædi & illudi, & à percussoribus effrenè irrisus interrogari de prophetizando percussore.

32. Demum inter tot nefanda tormenta & opprobria ita ad nihilum redigi & nesciri elegerit, ut postquam primum condolens justo de injustitia conquerenti, initio semitæ suæ testimonium reddi de malo ante supplicium, justum esse innuerit, in hoc, humanum dicens proper infirmitatem nostram, & sic primo patientiæ gradui condescendens exemplo suo; ad exquisitoria & perfectiora mox transiens evangelii & charitatis, jam in silentio consummans sacrificium suum dederit genas suas vellentibus & maxillas suas percutientibus, frontem & sacrum os suum conspuentibus & contundentibus:

Et sic sputis tradiderit faciem, caput spinis & fustibus, corpus totum flagellis, manus & pedes clavis & malleis:

Cum sceleratis computatus, homicidæ postpositus, & inter latrones duos crucifixus, nomen & famam in eadem ara crucis Patri suo immolaverit, propriâ gloriâ in totum nudatus, & ejus qui miserat illum gloriam intendens solam, & salutem nostram.

33. Hoc exemplar exhibuit in monte tabernaculi à veris Discipulis erigendi, in patientia multiformi Dominus noster Jesus: hoc nobis reliquit exemplum, ut sequi vestigia ejus non pigritemus.

Qui nondum didicit pati, montem illum descendat, & hauriat de fontibus Salvatoris multiformem patientiam in omni genere tribulationis, & persecutionis, & angustiae, & humiliationis, & ignominiæ.

Rore sanguineo madidum pulverem siccis non ferat oculis conspicere: inter turbas tumultuantes & imprecantes aurem pavidam, sed attentam erigat ad mellifluam vocem Filii Patrem deprecantis pro crucifigentibus, *Pater, ignosce, & scelus immane attenuantis, quia nesciunt quid faciunt.*

Ibi discat condonare, ibi discat silere & pati, ibi discat & excusare accusatores suos & calumniatores, & stare & esse contra se pro inimicis & contradictibus quoties & quandiu fas est.

34. Si Hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, si eò usque contritum & humiliatum corpore & spiritu exhibere se Dominus noster non est dignatus in formam peccatoris, in similitudinem hominum factus, & pelle nostra, pelle Esau, induitus innocens Jacob, & idem Filius Dei & filius hominis, primogenitus in multis fratribus, factus pro illis maledictum.

Et certè cum Domino servum humiliari pariter decet & conteri, & dum caput nostrum ita coronatur in die desponsationis suæ, & membra paradiadematæ in terris coronari conveniens est, si velint sponso conjungi, & cum ipso intrare ad nuptias æternas in cœlis.

Dumque videmus in viridi ligno tam dire
sævisse justitiam Dei, si & in arido sævientem
experiamur, quid restat peccatori justè percusso,
nisi ut humiliter noverit Deum justificare, idque
unum verbum Psalmistæ corde simul & ore assidue
versare: *Justus es, Domine, & rectum judicium
tuum.*

35. Felix cui & ex tunc datum est charitate
servere; addet enim & benedicere & gratias
agere, superabundans gaudio in omni tribulationi
sua.

Magnum sic pati, arduum valde & mirabile
diem istam constanter peragere.

Melior est patiens, ait Salomon, viro forti, &
qui dominatur animo suo expugnatore urbium.

*Dies sexta, dies humilitatis, quæ ducit
ad sabbatum pacis.*

Veruntamen in tam alto gradu qui stat, videat
ne cadat, & in luce novæ diei, in seculo & vero
humilitatis fulgore discat discernere quid à se
habeat, & quid à Deo, ut non altum sapiat.

Et dum occasione patientiæ superbiae tentatio-
nenem experitur, dicat cum Propheta: *Veruntamen
Deo subiecta esto, anima mea, quoniam ab ipso pa-
tientia mea.*

36. Sanctus Apostolus Paulus, dum narrat per-
secutiones & angustias pro Christo passas, dum

gloriatur in tribulatione, narrationem tribulacionum suarum insipientiam vocat: Insipiens sum, inquit, vos me coegistis.

Nec tamen in die patientiae gloriabatur in se, qui se minimum judicans Apostolorum, nec dignum tam alto nomine, fideliter confitebatur Domino, dicens: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

Nec stabant in se, qui non propriis viribus, sed in eo qui confortabat illum se omnia posse dicebat.

Resistit Deus superbis, humilibus dat gratiam. Orate pro calumniantibus & persequentibus vos, ait Dominus; benefacite his qui oderunt vos; diligite inimicos vestros, & nolite resistere malo, sed vincite in bono malum.

Sublimia præcepta & planè divina!

37. Nunquid qui hæc fecerint ad apicem christianarum virtutum jam condescisse videntur? Nunquid filii planè perfecti jam sunt patris illius misericordiarum, qui facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & injustos?

Nunquid verius & justius quām de Judicibus terræ dicere fas erit de istis ad quos non aridē & in auditu auris sermo Dei factus est, sed & in quibus verbum Dei adeò pertigit usque ad divisionem animæ & spiritū: *Dii etsi vos & filii Excelsi.*

Veruntamen quid docuit magister bonus dis-

cipulos suos & tunc de semetipsis sentire? Cùm hæc feceritis omnia quæ præscripta sunt vobis, dicite quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.

38. Via hæc humilitatis, ipsa est quam tenuit supra omnem humanum modum ante nos Dominus Jesus, qui non intra limites nostros restrinxit humilitatem suam, in quibus præter superbiam jactantiam, nec potest homo absque injustitia, nec licet ei boni sibi quidquam tribuere absque mendacio & rapina.

Sed cùm in forma Dei esset exinanivit semet ipsum formam servi accipiens, & consummavit vitam suam, factus obediens usque ad mortem & opprobria crucis, in tanto sacrificio gloriam quaerens non suam, sed ejus qui miserat illum.

Via hæc, via justitiae est & veritatis, quam dirigit cognitio Dei & cognitio sui; gratia enim Dei id omne est homo, quod est, & in quo gloriari potest quod non acceperit?

Planè nihil apud ipsum est præter peccatum, in quo qui gloriatur lætans cùm malefecerit, & exultans in rebus pessimis, longè est à diebus istis salutis, & manens in nocte, in tenebris ambulans, umbra mortis, aversus à luce, alienus à Christo.

Dies septima, sabbatum pacis.

39. Via hæc, via brevis, via simplex, via recta

attingens à fine ad finem, terram cœlo conjungens, hominem socians Deo, evehensque humilem ad devotionis lumen, diem septimam, diem serenissimam, sabbatum mentis & cordis in terra :

In quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivit homo spiritualis absque labore, dilatato corde currens in via Domini, & in mandatis ejus volens nimis :

In quo etiamnum contra votum cordis desiderio crucis accensi dimittitur, tandem justus, miserante Deo, ut refrigeretur, priusquam abeat, qui eō usque in labore & dolore cruciabatur, & morte afficiebatur totā die :

In quo quidquid prius cùm amaritudine & coactione spiritū sui faciebat, de cætero jam cùm summa dulcedine peragit & delectatione.

40. Hanc tamen qui videtur experiri, non continuò credat sibi, præsertim si novitus est, nec per præfatos ascenderit gradus.

Pius Dominus noster Jesus Christus pusillos corde talibus blanditiis solet allucere, ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum non immemores sint bonorum.

Hæc gratia præstita ipsis est, non data.

Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate.

Verūm qui per totam vitam suam ad hoc tendunt nec unquam pertendunt, hoc sciant quia

quod ipsis dispensatoriè negatur in via; modò piè & perseveranter conatus adhibere nec cesserent nec deficiant, reddetur in exitu, in mensura conferta, & coagitata, & supereffluente, & quia consummati in brevi explebunt tempora multa.

CAPUT VI.

Oratio paventis animæ.

Vox revertentis ad jugum sanctum.

I. DIRIGE, Domine, gressus meos, & omni hora adjuva me, quia in mari magno mundi hujus versor quotidiè, inter homines seductos & seductores, inter sermonum & exemplorum pellicientium delinimenta multorum, ubi bonos etiam sèpè deficere videre est, malos raro ad bonum redire, viam tuam per paucos in veritate conquirere.

Adjuva me per Spiritum sanctum tuum, qui requirat in me, à defectu custodiens, ad profectum erudiens, componens mores, affectus dirigens, intentiones sursùm evrehens, mentem nutriendis, à terrenis cor exhauriens:

Interiorem hominem formans, animam meam in ipsum trans fusam ponens habitaculum suum, super altissimum humilitatis fundamentum regnum Dei firmiter stabiliens, & per ascensiones ipsi

soli notas usque ad virum perfectum deducens:

Per ipsum transfusus, & mutatus in novum hominem, scientiam Sanctorum edocear! nihil diligam nisi te, vel in te, vel propter te! nihil timeam praeter te, nihil sperem nisi à te!

Semper attendens voluntatem tuam, semper paratus ad obedientiam, mansuetus ad patientiam, subiectus ad disciplinam, rigidus ad meipsum, indulgens ad proximum, concors ad pacem & unitatem:

In judicio rectus, in consilio providus, in iubendo discretus, in disponendo industrius, in agendo strenuus, in loquendo modestus:

In adversitate securus, in prosperitate devotus, in zelo sobrius, in misericordia non remissus, in otio non otiosus, in hospitio non dissolutus, in convivio non effusus, in cura rei familiaris non anxius, rei alienæ nunquam cupidus, propriæ non proprietarius, sed fidelis dispensator, ubique & in omnibus circonspectus.



CAPUT VII.

Morum informatio.

Vox Magistri vitae spiritualis.

1. **D**ISCE à Domino Jesu mitis & mansuetus omnibus esse, nulli gravis; amico utere ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus potes ad beneficentiam; & si quandoque ostenderit tibi dura, probans te, & potaverit te vino compunctionis, sustine patienter, sciens quia bibis de calice sancto ejus.

Si quandò experieris sensibiliter quàm dulcia sunt eloquia Domini, quàm suave jugum illius, quàm dulce onus ejus, ferventer gratias age, tantòque humiliorem exhibe te.

In die malorum memor esto bonorum, & superabundabis gaudio in omni tribulatione tua.

In die bonorum memor esto malorum, ne altum sapias, intumesca, & corruas.

2. Beatus certè cui tempus orationis semper breve, jejunia jucunda, labores appetibiles, panni suaves videntur! Beatus cui, in exercitiis sanctæ conversationis, quod durius est parum videtur, qui in sancto proposito suaviter incedit lacte devotionis nutritus!

Sed beatior qui postquam ingressus est & aggressus vias vitae, etsi tribulationibus corporis & animae pariter contorqueatur, non cedit tamen vel recedit in tribulatione!

Beatior quia quandam merebitur audire, velut olim selecti Discipuli, ex ore Magistri & Domini: Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis... jam non dicam vos servos, sed amicos.

3. Mancipa te totum servitio Christi: magna aggredere, & excelsa imitare: desere ima, & summa pete.

Ne deficias, neque tepescas: proficere stude, cresce, & per dies singulos teipso melior fias.

Noli limitem ponere charitatis fervori, & virtutum acquisitioni.

Noli contentus esse mediocribus, quae citò exolescunt, & exorto caumate protinus arescunt; magna tibi parata est post victoriam gloria: Qui vicerit erit columna in templo meo, ait Dominus, scribam in eo nomen meum novum, & inter lapides pretiosos numerabitur novae Jerusalem, civitatis sanctae.

Sollicitè temet ipsum custodi, & ut temet ipsum semper inspicias, semper ab omnibus oculos averte.

Oculo interiori concessum est semet ipsum videre quod oculo exteriori negatur; utere tam utili facultate ut tibi soli vaces & rebus intimis animae tuae.

Multa si sapis, si sapientia sapit tibi, tibi ipsi
materia sollicitudinis eris.

4. Exclude non tantum ab oculis exterioribus
quodcumque sensus tuos prinos ad malum afficere
potest, sed ab interioribus quodcumque sopitos
affectus evigilare.

Custodi pudicitiam, ut in selecto virginum
ovili cum Christo ascendere merearis usque in
verticem Sion, sequens Agnum quocumquè ierit.

Custos pudicitiae humilitas: multi & in ipsa
senectute in barathrum concupiscentiae per super-
biam lapsi sunt.

Assidua & verecunda modestia avertat oculos,
sepiat aures spinis, linguam cohibeat, & à telis
ignitis sensus exteriores protegant labor durus, je-
junium, vigiliae & orationes.

Principiis obsta, & vel minimam propera scin-
tillulam extinguere, ne subito crescat in incendium.

Criminosæ carnis lascivia interdum coerceditur
per manuum elevationem in cœlum; sed & dolore
modico per subitam manūs unius vel cruris sus-
pensionem acerbè protractam in aliquot momenta,
& fatigationem promptè subsequentem; dum-
modò simul vigilet spiritus, & promptus per ora-
tionem adjuvet carnis infirmitatem, sicut vixit
est Amalec orante Moyse, & manus levante ad
Dominum.

Lubricum iter est castitatis, sed in auxilio Christi

confide : time & cave , & faciet Dominus cum tentatione proventum , ut possis sustinere : frustra latrabit caro & sanguis : dummodò consensum deneges , dummodò resistas fortiter , crescat meritum & augebitur præmium .

5. Verùm ante omnia memento non lugandū vel certandum æquatis frontibus contra periculosas & importunas imaginationes , seu à sola pravitate concupiscentiæ communis orientur , seu ab antiquis consuetudinibus per tenacitatem & promptitudinem memorie recordantis in corde recrudescētibus .

In his temptationibus prudenter attende tergiversari , & absque conatu ad alias imagines & cogitationes , & loco & occupationi congruas , quam citius advertes leniter mentem deducere .

Sæpè sat erit agere quod agis , sed attentiùs viam tuam dirigere in conspectu Domini .

Sin ex importunitate fugere quandoque cogaris & confugere usque ad montem Dei , memor esto uxoris Loth , & verbi quod ab Angelis imperitatum fuit fugienti ab urbe pessima : & ita fuge ut non respicias post tergum tuum , ne pereas .

6. Otium super omnia fuge : in desideriis est omnis otiosus , & desideria occidunt pigrum .

Redime tempus , quoniam dies mali sunt : non breve adeò est tempus vitæ , sed temporis multum perdunt homines ; nec perditum properant reparare

in quantum reparari fas est irreparabile tempus.

Si pernoctare non vales, & oculi tui mox fiunt gravati in oratione Dei, unâ saltem horâ disce cum Christo vigilare & orare.

Erant in mediis fluctibus temporaneorum negotiorum & terrenarum occupationum ne obliviscaris vel aliquid saltem & tui cordis & temporis sanctae meditationi sequestrare.

Optima & ad omnia valet meditatio sancta: ipsa actionem suam facit sapienti præsumptione, dirigit prudenti præordinatione, cautâ & tranquillâ prævisione in bonum omnia convertit.

Prævisa & præmeditata semper proficuo sunt: præcipitata ferè semper periculo fiunt.

Mens actionum fons est: hanc meditatione sanctâ purifica.

7. In ipso fonte meditare verba & exempla Christi: illa assidua meditatio reget affectus, diriget actus, corriget excessus, componet mores, vitam ordinabit & honestabit.

Per ipsam nihil correctionis egens, diù in mente residuebit incorrectum: ipsa in prosperis adversa dischet te præsentire: ipsa in adversis faciet ut quasi non sentias:

In ipsa disces virtutes omnes, & quibus vinculis mirum in modum connexæ sint inter se:

Ipsa docebit te prudentiam fortitudinis matrem esse, temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturivit prudentia:

Ipsa docebit te quia inter voluptates & necessitates media quasi quædam arbitra sedet temperantia, utrinquè certis limitibus disternans fines, illis assignans & præbens quod sat est, istis demens quod nimis est:

Ipsa docebit te hanc non tantum esse in resecandis superfluis, sed & in admittendis necessariis, ut cura carnis non perficiatur in desiderio: nec necessariam excludi curam, sed superfluam cohiberi, adeò ut in hæc præcidenda, nec excedenda necessitate sit virtus, & ultrà citraque nequeat consistere rectum.

8. Ibi confer te tibi quotidiè: actus & sermones & cogitationes præteriti diei, confer hodiernis; & perpende an proficias in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum, an ab his deficias:

Ibi dispone futuras actiones prævidus observator & modi, & loci, & temporis in iis quas non natura virtutes, sed usus facit, & quas indiferentes ex se abutendo & confundendo potes in vixia convertere, vel in virtutes benè ordinatèque utendo:

Ibi discretionis oculum postula, ut benè discernas terminos: modus ipse virtus est: medium tene ut teneas modum:

Ibi disces non evadere in longius promittens tibi annorum vanum circulum, nec in latius per-

Superflua curas animum distendens, nec in altius plus de te præsumens, nec in profundius demissior factus per pusillanimitatem:

Ibi disces nunquam protrahere morum in quocumque bonam informationem: sera nimis vita est craftina, quæ Deo paratur: hodie ex hac hora vive Deo, & dic: Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.

9. Ibi disces in tribulationibus tuis constanter inquirere Dominum, qui juxtâ est iis qui tribulato sunt corde: in alienis condolere, compatiens & misericors esse, ut misericordiam consequaris:

Ibi advertes, in prosperis attentiùs vigilandum super te, & firmandam custodiam supra animam tuam:

Ibi disces timere, recordatus & ipsas cedros quandoque evulsas à vento prosperitatis, sapientissimos viros blandientibus nimis secundis rebus vel ex parte vel ex toto, vel interim vel ad finem usque, lamentabiliter desipuisse.

Heu, quām rarus qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverit à suī custodiâ & disciplinâ!

Quām rarus cui inter prospera, inter plausus & favores non irrepserit, & risus frequentior & indecentior, & sermo confidentior & elatior, & superbior & delicatior, & immoderatior cura vestis & corporis, & otiositatis amor, & nugarum

& verborum scurrilium profusio sub obtentu faceti & urbani sermonis!

10. Singulis horis sua distribue exercitia, & omnia sive spiritualia, sive corporalia agere studias perfectiori modo: perfectionem in omni re, loco & tempore æmulare: intende bene omnia facere, ut sis perfectus sicut & Pater qui in coelis est.

Si quid intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, loco & tempore non abeat impunitum vel irrecompensatum.

In his maximè observare memento orationis sacrificium matutinum & vespertinum; matutinum, quia adhuc à curis exterioribus es jejonus; vespertinum, quia tunc ab hujusmodi impedimentis quodammodo invenire digestus.

Felix qui potest septies in die laudem dicere Deo, & surgens mediâ nocte confiteri ei in nocturnis vigiliis, cuius deliciæ psallere Deo, psallere lentè, psallere mente, psallere spiritu, & ita aperire ad laudes ejus labia sua, ut semper menti & spiritui aggregentur!

11. Ne extollaris ex illa corporea & exteriori pulchritudine quam levis febricula perdit, & promptè rugosa senuctus ita dissolvit ut nec fuisse putetur.

Committe te gratiæ huic, quâ ex verecundia & modestia vultus efficiuntur gratiores.

Virtus si in ipso corporis decore plus eminet, at in decore non affectato, verum simplici, naturali, neglecto magis quam expetito, non pretiosis vestimentis adjuto, sed communibus & talibus ut honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.

Fuge intemperantium consortia, qui turpiter & indisciplinatè viventes, per familiaritatem & confabulationem in animas pudicas & verecundas sub specie jucunditatis venenum infundunt mortiferum.

Væ qui sic rident, quia flebunt & plorabunt! Væ qui improbo ausu & dissolutione sua innocentes animas conturbant & inficiunt! Væ fronti invereundæ & linguæ audaci!

Vox tua non fracta, non remissa, sed sit formam quamdam, & regulam, & succum virilem habens.

Sed ut molliculus & infractus sonus vocis aut gestus corporis non probandus, ita nec rustica & agrestis natura imitanda.

Honestas, mansuetudo, casta & comis hilarietas, vel blanda & mitis gravitas prout oportebit vocem & sermonem, gestum & actum hominis exterioris informent.



CAPUT VIII.

A judiciis tuis, Domine, confige
timore tuo carnes meas.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. **V**IDERE multos est qui in spe prolixioris vitæ
in peccato viventes, etiam stimulante conscientiâ, pœnitentiam & conversionem differunt.

Expectat adolescens maturitatem virilitatis, ut
adhuc à virilitate per nova intervalla dilationum,
usque in senectutem protrahat metam peccandi.

Nunquid ergo, qui de futuro tantâ temeritate
præsumit, tempora vel momenta quæ Pater habet
in sua potestate, ad nutum suum deposita tenet
in sinu?

Heu! transibunt celeriter dies salutis, dum non
recogitant; & temporis hujus quo nihil pretiosum
minus, nihil vilius aestimare videntur, non redi-
tura momenta periisse, aliquandò sed frustrâ lu-
gebunt.

Væ qui tardat converti ad Dominum, nesciens
quid superventura pariat dies!

2. Breves dies hominis sunt, numerusque illo-
rum quis sit semper ignorat homo super terram,
nec unquam scit quid desit illi:

In imagine pertransit, quasi flos egreditur manè & conteritur vesperè, in una die.

Interrogas seniores, & dicent tibi quòd rapido cursu fugiat irrevocabile tempus, quòd fugiat velut umbra, quòd longissima vita illorum sit velut custodia in nocte.

Beatus servus qui vigilat omni horâ expectans Dominum suum ! Beatus, quia non invenietur in vano accepisse animam suam.

Beatus qui assiduè meditatur in verbo isto Domini nostri Jesu Christi quod non Apostolis tantum, sed quod omnibus dixit, *Vigilate !*

3. Nunquid est aliquis qui semper vivet, & non videbit mortem, & eruet animam suam de manu inferi? Quotidiè moritur homo, quisquis est: quotidiè ad resolutionis suæ metam properat, quotidiè propior fit inevitabili separationi.

Moritur dives in die qua nescit & hora qua non sperat, & relinquit divitias suas, nec moriens sumit quidquam, vel descendit cum eo gloria ejus.

Sed simul cum paupere dormit, & subter ipsum sternitur tinea, & operimentum ejus fiunt vermes.

Tunc velum somnium visionis nocturnæ fiunt multitudo servorum stipantium & servientium, strepitus curruum, amicorum turba & adulatorum, à quibus laudabatur in désideriis animæ suæ, à quibus benedicebatur in studiis & affectibus iniqutatis.

Fugient sodalitia omnia carnea terrestria & humana : horrenda manet animam solitudo , quæ usque ad hanc horam vagabatur extra se , & solum fœtido corpori supereft sepulcrum.

4. Sicut somniat esuriens & comedit , cùm autem fuerit expergefatus , vacua est anima ejus , sic tunc invenitur qui cor apposuit in divitiis .

Sicut somniat sitiens & babit , & postquam fuerit expergefatus adhuc sitit , & anima ejus vacua est , sic tunc erit qui in voluptatum cœno immersus , aquam turbidam Ægypti prætulisse reperietur aquæ sapientiæ salutaris quæ fluit de fontibus Salvatoris .

Tunc cessabit gaudium tympanorum , quiesceret sonitus lætantium , conticesceret dulcedo citharæ .

O quam amara potio relinquetur animæ sic tardius reversæ ad se , & non conversæ ad Dominum quandò tempus redimere poterat !

Clausa domo corporis , exuli animæ , nudæ , & omni auxilio destitutæ solitudo manebit horrenda , & calamitas opprimet portas ejus .

5. In momento quo non attendit , in hora qua nescit erunt hæc : formido , & fovea , & laqueus incident super ipsam .

In hanc foveam incidit dives quâ nocte dicebat animæ suæ in operibus suis confidens : Anima , bibe , comedē , epulare .

In laqueo isto comprehensus est pes ambulan-

tium in delictis suis , procrastinantem conversio-
nem suam ad Dominum , spernentium vocem
vocantis & revocantis in longanimitate nimia &
expectatione.

In formidine ista demùm contabescet obdura-
tum cor , alienum à sancto timore , & in profundo
malorum contemnens & gloriens.

Confringetur , conteretur & evanescet vana
illa spes dierum , mensium & annorum : auferetur
velut à turbine peccator , & quasi tabernaculum
unius noctis.

Gravatus iniquitate sua corruet , nec adjicet ut
resurgat.

6. Visitabo tandem in furore meo , ait Domi-
nus , & in igne fulgurantis hastæ meæ : in instan-
tanea discussione accusatus , judicatus & damnatus
congregabitur in fasciculo zizanniorum.

Detrudetur in lacum , & claudetur in igne inex-
tinguibili , in loco fletûs , stridoris , & vermis cor-
rodentis , & chaos æternum firmabitur inter infer-
num inferiorem & regnum æternum Domini ,
inter locum tormentorum , & montem Sion cœ-
lestem Jerusalem.

Tunc adimplebitur vox intonans Dei , à qua non
expavit peccans peccator : Arguam te , & statuam
contra faciem tuam.

Heu ! quid tunc erit confusioneis , miseriæ &
doloris , quandò dispersis foliis turpitudinem suam

protegentibus & nuditatem , revelabitur ignomina ejus , nudabitur ejus obscœnitas , sanies illius apparebit !

Tunc non effugiet poenam peccator , corrodetur infelix anima , nec amplius mentietur iniquitas sibi , ut vel umbra vel spes sit consolationis , ut dissimulationi vel distractioni locus sit ; corrodetur nec consumetur .

A stupore & insensibilitate excitata tunc anima , tantò acriùs dolebit , tantò molestiùs feret insanabiles plagas proprias , quanto charior & vicinior ipsa sibi invenietur , quam caro foetida , vestis mutatoria , à qua longè tunc aberit .

Heu ! qui nunc nec aliquatenus valent conscientiae stimulos sustinere , sed avertunt oculos cordis , & ad consolationes miseras convertuntur , aut strepitibus negotiorum vel voluptatum decipere semetipsos non cessant , quomodo tunc immortalem factum vermem illud totâ malignitate corrodentem sustinebunt ?

Væ , vae qui infeliciter , sed justè , experietur tunc esse ultorem quem noluit redemptorem , tunc poenam esse peccati ex necessitate illum ipsum , quem noluit habere ex voluntate præmium sanctificationis .

Pœna peccantium ipse Deus erit ; super ipsum æternum illidetur omnis pravitas , & conturbabitur & conquassabitur omne tumidum & distortum .

Semper conabitur, semper impinget & frustrâ;
& per voluntatem criminosa, æternam crimi-
nosæ aversionis referet pœnam :

Quia semper volet quod nunquàm erit, &
semper nolet quod nunquàm non erit :

In æternum non obtinebit quod vult, & quod
non vult in æternum nihilominus sustinebit.

Quid gravius, quid horribilis? & hoc ex
justitia faciet justus Deus, de quo ait Psaltes :
Cum innocentia innocens eris, & cum perverso
perverteris, id est juxta immutabile facinus ejus
immutabilis eris.

8. Erit & lux illuminans tenebras illorum, &
in luce illa spectabit sese peccator, nec erit mo-
lestior oculus suo cujusque.

Hunc oculum suum tenebrosa conscientia suffu-
gere volet nec poterit.

Non latebunt tenebræ vel se ipsas.

Opera tenebrarum peccatorem sequentur, nec
erit quod se abscondat ab illis : hic vermis est qui
non moritur.

Innatus per peccatum nunquàm morietur, nun-
quàm avelletur, parcer nunquàm.

Esca inconsuptionis anima peccati conscia
sibi : vermis ille mordax, mors illa vivax, me-
moria & conscientia vitæ fœdæ flagitiis.

Hæc est mors secunda, quæ semper occidet
nunquàm peroccidet.

9. Nec tunc erit quod veritatem dissimulet ratio, aut rationis intuitum declinet anima membris avulsa corporeis, & in seipsa collecta.

Jamque per mortem conclusos inveniens sensus, per quos exire & à seipsa ire solebat in eam quæ præterit mundi figuram, turpitudinis suæ pondus & confusionem portare cogetur.

Tunc saltem incipiet peccator erubescere, spectaculum factum Deo & sibi ipsi in splendore terrifico, donec in die revelationis justorum judiciorum Dei, in consummatione seculi fiat spectaculum & Angelis & hominibus, & mensura ignominiae compleatur.

Qui lætaris in concupiscentiis tuis, nec advertis longanimitatem Dei, quæ ad pœnitentiam te adducit, ecce venit tandem afflictio, venit finis, & misericordiæ tempus spretum, justitiae æternitas advenit vindicatura.

Nunc finis super te, & immitam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, ait Dominus.

Non parcer oculus meus super te, & non miserabor; sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt.

10. Ipsæ in secula tormenta fient damnatorum quæ fuerunt delinquentium peccatorum.

Vias peccati elegerunt, in viis peccati relinquentur; & sic adimplebitur quod minatus est

Deus per Prophetas , dicens : Vias tuas ponam super te , imponam tibi omnia scelera tua.

Justum est ut sub onere scelerum suorum prematur qui onus leve mandatorum Domini arroganter contempsit portare :

Justum est ut qui suave jugum amoris & dilectionis petulanter detrectavit , ab illo æternū longè absit sub jugo ferreo iniustitiae.

Justum est ut quemadmodūm delectatus est peccator in elongando se à viis Domini , tradatur pravo desiderio suo , maneat æternū separatus à Deo , & inter illum & Deum chaos immensum firmetur : O justiarum Dei abyssus multa ! ô abyssus tremenda !

Horrenda separatio à fonte omnis boni in abyssum omnis mali ! de sinu misericordiæ in manus justitiæ Dei viventis !

11. O quām longè aberit locus à loco , peccator à Sancto , gehenna ignis à canticis amicorum Sponsi , profundum inferni à nuptiis Agni , à monte sancto ubi faciet Rex Regum nuptias filio suo , & electis suis convivium pinguium , cœnam magnam !

Ubi præcipitabit faciem vinculi quo colligati fuerunt Prophetæ & Apostoli in opprobrio hominum & persecutione : ubi præcipitabit & mortem in sempiternum à Sanctis suis , qui viles aliquando & respecti visi sunt oculis insipientium mori , sed ipsi erant in pace , in pace vera , in pace perfecta .

Ubi auferet & lacrymam & opprobrium ab omni facie populi sui electi de universa terra.

Ubi excelsus & sublimis habitans æternitatem, cuius sanctum & terribile nomen ejus, vivificabit spiritum humilium servorum suorum, cor contritorum parvolorum Christi Jesu, & cum contrito & humili, & qui tremit ad verbum ejus, condelectabitur in misericordia & miseratione.

12. O quād longē aberunt à regione justorum, civitate lātantium, superbi & contemptores qui olim aiebant: Nolumus hunc regnare super nos, inimici regni Christi Jesu, quando scabellum pedum filii sui regnum accipientis ponet eos Dominus, & conteret, & conquassabit capita eorum in justitia sempiterna.

Hæc meditare dum tempus est, cave ne mundus, vel caro, vel diabolus rapiat animam tuam, pretiosam animam, pro qua rogavit Christus cum lacrymis, pro qua totum effudit sanguinem suum, pro qua animam suam exhalavit.

Quandiu tempus adest, interroga te si sis in fide, sic elige vivere ut moriens post dies plenos portari merearis ab Angelis in sinum Abrahæ.

Nunc tempus quærendi regnum Dei, nunc tempus convertendi ad crucem, nunc hora tollendi jugum sanctum:

Nunc tempus *transitus* ad viam Christi, ut tunc possis ad regnum ejus admitti.

C A P U T I X.

Oratio Peccatoris.

Vox Peccatoris pœnitentis.

I. CLAMABO ad te, Domine, in die, clamabo
& nocte coram te, quia repleta est malis anima
mea.

Miserere, Domine, miserere animæ meæ semper
in malum pronæ & naturâ suâ perversæ.

Miserere terræ illius reprobæ, quæ tam sæpè
imbrem bibit eloquii sancti tui venientem super
se, & tamen nihil protulit nisi tribulos & spinas.

Tu solus potes exurere ad radices spinas illas,
semper renascentes, à quibus suffocatur semen
verbi sancti tui quod seminas in corde meo.

Heu, Domine! miser peccator sum, qui milles
jeci fundamentum pœnitentiæ ab operibus
mortuis: qui sæpius illuminatus gustavi donum
cœleste, & particeps factus sum sacramentorum
tuorum:

Qui etiam gustavi bonum verbum tuum vir-
tutesque seculi venturi, & nihilominus prolapsus
sum, non horrescens mihi metipsi rursùm cruci-
figere Dominum meum.

Ipse sum cui intonat horrendum illud Apostolus

tuus, impossibile esse rursum renovari ad pœnitentiam.

2. Heu, Domine misericordissime! impossibilitas hæc apud homines sit. Novi & credidi, propter quod & loquor & deprecor supplex, quia apud Deum omnia possibilia sunt, & quia in mirabilibus tuis miserations tuæ sunt super omnia opera tua.

Tu es, Domine, qui dixisti per Prophetam fornicanti Jerusalem: Fornicata es cum amatoribus plurimis, veruntamen revertere, & ego suscipiam te.

Qui proprio ore sancto tuo te medicum dixisti
malè habentium:

Qui Samaritanum misericordiorem omnibus
Levitis & Sacerdotibus, oleum & vinum in-
funden tem supra vulnera elongantis se à civitate
sancta te exhibuisti:

Quique dignatus es rogare Patrem nomine
amantissimo pro crucifigentibus & blasphemantibus
te.

Heu! visita in virga paterna iniquitates meas,
& in verberibus salutis peccata mea; at ne dis-
pergas misericordias tuas à me: noli confundere
spem meam, Domine, quæ est in testamento tuo
novo, firmato, non in sanguine vitulorum &
hircorum, sed in proprio & sancto sanguine tuo.

Et verba hæc, verba dulcissima peccatoribus
revertentibus ad te, verba quæ processerunt de

sanc̄tis labiis tuis , ne facias irrita.

3. Confiteor , heu ! Domine J̄esu , in lacrymis & suspiriis multis , me multūm diūque nimis post acceptam notitiam veritatis voluntariè peccasse , & scelera & pr̄evaricationes meas supergressa fuisse super numerum capillorum capitis mei , & quia cicatrices animæ meæ plusquām quatriduanæ putruerunt , & in monumento corruptæ sunt in insipientia mea :

Confiteor coram cœlo & terra , quia in hunc furorem versus sum in via iniquitatis , ut Filium Dei in gratia & in mysterio conculcare non horruerim , sanguinem sacrosanctum testamenti polluere , Spiritui sancto contumeliam facere:

Confiteor quia me sola manet , heu ! terribilis expectatio judicii & ignis æmulatio , quæ consumptura est inimicos Christi in die iræ , si justitiæ tuæ judicium , judicium misericordiæ tuæ antevertat :

Confiteor quia nec remanebit hostia pro peccatis meis , si ante thronum justitiæ appendatur , amoto regno miserationis & veniæ.

4. Verūm per misericordissimam longanimitatem tuam , Domine , regnum hoc amotum nondūm est ; & qui de tumulo olim vocasti amicum tuum Lazarum , in superabundantiori misericordia de tumulo inferiori fœtentem dignatus es suscitare me inimicum infensissimum , non in igno-

rantia Sauli , sed in pravitate & malitia cordis venditi mundo , carni & diabolo.

Nec hoc satis visum est clementiæ tuæ revocare me miserum peccatorem ad lucem de tenebris, de medio umbræ mortis ad jubar vitæ christianæ; sed hoc addidisti , ut quemadmodum sanctum amicum tuum jam fuscitatum paulò post unum fuisse legimus ex discubentibus tecum , ita & me admitti permiseris ad mensam sanctam filiorum tuorum , qui non modò indignissimus fuī pane sancto filiorum nutriri , verùm quem & huic honori admittere nefas justo videri poterat , ut vel accederem ad osculandum pulverem quem calcaverunt pedes sancti tui , pedes speciosissimi & dilectissimi , pedes evangelizantis veram pacem, pacem quæ exsuperat omnem sensum.

5. Sed , heu , Domine ! absit à me ut ideò ambulem in magnis vel in mirabilibus super me : hoc unum deprecor , ut liceat humiliter ac ferventer sanctis pedibus tuis fixus & gemens adhærere:

Id unum cum peccatrice in silentio requirens cum fletu & planetu , ut remittas peccata mea priusquam veniat dies irremissionis :

Ut in dilectione sancta consumens omnes iniqüitates & immundicias meas , spiritum novum & cor novum innoves in me , antequam veniat dies ubi fient omnia nova præter habitus mentis & cordis:

Ut nunc incipiens perseveranter ardere in tempore igne sancto charitatis tuae, totus quondam immersus inveniar in abyso miserationis & charitatis, quando venies justus Judex unumquemque, & diligentem te, & odientem te, aeternum addicere vel dilectioni vel odio.

6. Heu! summum & aeternum malum odium illud nefandum inferno horribilium, secundam & aeternam mortem longe fac a me, Domine!

Et bonum illud summum, cuius scintillulas dignaris quandoque immittere in corda contrita & lugentia pœnitentium, abyssum quondam assumens miserarium mearum, aeternum det animae meae vivere in te.

Exaudi, Domine, vocem deprecantis te: salva propter nomen sanctum tuum quem eduxisti de lacu miseriæ & de luto fœcis: illumina sensus meos: o summa veritas! dirige in conspectu tuo: viam meam, & deduc me in itinera sancta tua: miserere & parce.

Nec contineas in ira tua misericordias tuas, o Deus clemens & misericors, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia in diebus nostris sicut & in diebus antiquis, qui semper idem es & cuius anni non deficiunt, qui es & non mutaris! Amen.

CAPUT X.

Tempus non erit amplius.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. JUXTA est dies Domini magnus : juxta est & velox nimis.

Mille anni ante eum velut hesterna dies quæ præteriit.

Ecce venit qui attingit à fine ad finem in fortitudine , qui ab initio temporum ad consummationem seculi universa conspicit & complectitur :

Et qui , factus mediator in medio temporum ; disposuit omnia suaviter , antequam amoveat dies & secula , judicium faciet de diebus & seculis in die una , & in igne zeli ejus devorabitur terra , & elementa à calore solventur.

Ecce venit cui dedit Pater potestatem judicium facere quia Filius hominis est.

Venit in nubibus cœli exaltans caput , qui de torrente tribulationum babit ; venit ut judicet in nationibus , impleat ruinas cœlestis Jerusalem , & conquasset capita superbientium peccatorum in terra.

2. Jam adeſt dies illa , dies tribulationis & angustiæ , dies calamitatis & miseriæ , in qua erit pressura

pressura gentium super terram , & arescent homines præ timore & expectatione eorum quæ supervenient in universo orbi :

Dies tenebrarum & caliginis , in qua sol non dabit lumen suum , luna convertetur in sanguinem , stellæ cadent de cœlo , & virtutes cœlorum movebuntur :

Dies nebulæ & turbinis , dies tubæ & clangoris , in qua canet novissima tuba , & mortui resurgent judicandi .

Conturbentur omnes habitatores terræ , quia venit dies Domini , & jam adest , in qua dicetur : Cecidit , cecidit Babylon illa magna , mundus tenebrosus cum rectore tenebratum ejus : cecidit civitas immunda , quæ de vino fornicationis suæ potavit omnes gentes & omnia secula , & mox ipsa bibet de vino iræ Dei quod mixtum est mero in calice furoris ejus .

3. A facie Domini venientis judicare terram contremuit orbis , moti sunt cœli , sol & luna penitus obtenebrati , facti sunt sicut facci cilicini , sed & stellæ retraxerunt lumen suum cadentes de cœlo .

Magnus & terribilis dies ! quis sustinebit eum ? Ecce venit ut visitet super viros defixos in fæcibus suis , super eos qui dicunt in cordibus suis : Non faciet benè Dominus , & non faciet malè .

Venit ut visitet super peccatores ponentes in

cœlum os suum, & super hypocritas confidentes in latebris conscientiæ suæ, & arroganter ingredientes super limen templi Domini, ut compleant domum Dei iniquitate & dolo.

Venit scrutator universorum, & scrutabitur iniquitates & Ninives & Babylonis; sed & Jerusalem scrutabitur in lucernis, quia ibi plurimæ virtutes factæ sunt, & cui multum datum est plus petent ab eo.

4. Convertimini demùm, vel in hora undecima & penultima, qui que terrigenæ & filii hominum; convertimini ergo ad Dominum in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; convertimini ad Dominum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

Et nolite expectare donec messis tempus advenierit, & colligantur zizania in fasciculos ad comburendum: donec maturescant frumenta, & congregentur in horrea: donec claudatur æterna janua super admissos ad nuptias, & foris relictos, in tenebris exterioribus, in fletu & dentium stridore:

Donec firmetur chaos inter locum tormentorum & gaudia paradisi.

5. Væ enim, vœ quando tempus non erit amplius

Quando messores suos dimittet paterfamilias,

& jubebit ut mittant falces suas in terram !

Quandò completa erit consummatio Sanctorum,
& quando convertet Dominus captivitatem civi-
tatis sanctæ !

Quandò de Sion rugiet , & de Jerusalem dabit
vocem suam !

Quandò consurgent gentes & congregabuntur
ab Angelis à quatuor angulis terræ ! quandò de-
ducentur in vallem Josaphat , ut ibi disceptet Filius
hominis cum eis super populo suo , & vindictam
faciat sanguinis servorum suorum , qui effusus est
velut aqua in circuitu Jerusalem , & reddat retribu-
tionem gemituum & lacrymarum animarum sanctarum
in tribulatione consummatarum & cruce !

Quandò Dominus manifestè veniet , & ignis
exardescet in conspectu ejus !

Quandò cœli annunciarunt justitiam ejus ; &
parebit signum filii hominis in cœlo plangentibus
omnibus tribubus terræ ; quandò sedens in nubibus
Filius hominis , Judex hominum constitutus , cum
potestate magna & maiestate advocabit cœlum
desursum & terram deorsum discernere populum
suum , & congregare illi Sanctos ejus quicumque
ordinaverunt testamentum ejus & fideles fuerunt
pactis ejus !

6. Nunquid valebunt tunc fortis terræ eripere
se de manibus ejus , & declinare vindicem &
ultorem ?

At ipse est Dominus qui exterminavit gigantes
quorum proceritas quasi altitudo cedrorum , &
fortitudo velut robur quercus : qui per spiritum
oris sui contrivit omnem fructum eorum desuper ,
& omnes radices eorum subter : qui subridet vasti-
tatem super robustum , & depopulationem super
potentem affert.

In superbia cordis sui exaltaverunt solium suum ,
& dixerunt intra se : Quis detrahet nos in terram ?

Ad quos Dominus in die iræ : Si exaltati fueri-
tis ut aquilæ , & si intra sidera posueritis nidum
vestrum , indè detrahām vos .

Et nunc , nunc visitabo in furore meo super vos ,
eo quod abjiceritis legem meam , & pactum
meum habueritis in ludibrium , & conculcaveritis
in pulvere capita pauperum & humiliū , & in
seductione auri violaveritis pudicitiam , & inno-
centiam maculaveritis propinando vinum Naza-
ræis , & mandando Prophetis ne prophetarent .

Stridebo subter vos , & peribit fuga à veloce ,
fortis non obtinebit virtutem , & robustus non
salvabit animam suam : ascensor equi tenens ar-
cum & gladium nudus & tremens stabit in die hac .

7. Heu ! quid proderunt deliciæ & vanitates ,
quando potentibus & divitibus occidet sol in me-
ridie , & festivitates illorum tenebrascente terrâ
in die luminis convertentur in luctum , & cantica
eorum in planctum ?

Quandò in die retributionis inducet Dominus saccum horroris & fœtoris super dorsum superbū illorum qui priùs dormiebant in lectis eburneis, & induebantur purpurā & byssō, & turpe calvitium super omne caput sublime magnorum & opulentorum gradientium pompatice?

Quandò percutiet Dominus in ira sua domos illorum hiemales cum domibus æstivis, & habitacula illorum excelsa quadro lapide ædificata, & piæta & deaurata, ubi lasciviebant in stratis suis, ubi electas carnes armentorum comedentes canebant ad vocem psalterii, & bibebant vinum in phialis, unguentis optimis delibuti?

8. Proh! quid tūm fremitus, & strepitus, & tumultus diffundetur in terra, quandò inopinantes & securè dormientes somnum suum, comedentes & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes novissimos habitatores ejus invasura est subitanea & inexpectata dies adventū Filii hominis, quemadmodum & olim incredulis supervenit in diebus Noe repentinus interitus à diluvio!

Quandò ignis succendetur in furore Dei, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet!

Quandò & mortuos omnes qui vixerunt à seculo evoment & terra, & mare, & mors, & infernus, & mittentur Angeli à quatuor ventis à summis

cœlorum usque ad terminos eorum cum tuba & voce magna , & congregabuntur simul superbi confundendi & humiles glorificandi , potentes deponendi & parvuli exaltandi , divites spoliandi & pauperes locupletandi !

Si tunc justus vix erit securus , etsi præmonitus verbis Christi Salvatoris levare caput suum in signis illis , & respicere appropinquantem redemptionem suam ; peccatores , & prævaricatores , & sacrilegi ubi parebunt ? quò fugient ?

9. Heu ! nec erunt ut olim folia ficūs sub quibus abscondere jam valeat homo nuditatem suam , erubescens vultum Dei : nec ut olim fraticida primus profugus esse fas erit à facie Domini :

Nec sumere pennas ad effugiendum judicium Dei : nec latebras invenire ad abscondendum se à Domino , vel à dextris vel à sinistris , vel sursùm vel deorsùm , vel ab oriente vel ab occidente , vel à desertis montibus , quoniam Deus , Deus ipse Judex est :

Si descenderit usque ad inferni novissima , indè educet eum manus mea , dicit Dominus ; & si ascenderit usque in cœlum , indè detrahā eum ; & si absconditus fuerit in scissuris petrarum , indè scrutans auferam eum .

Quis stabit ante Dominum cùm egredietur de habitaculo suo , & descendet , & calcabit super excelsa terræ , & consumentur montes subtūs eum ,

& valles scindentur & fluent sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ quæ decurrunt in præceps?

Quando virtutes cœlorum commovebuntur, & recedent cœli velut liber involutus, ut fiat cœlum novum & terra nova, & consuminetur regnum Dei in secula sempiterna?

10. Quis valebit stare ante sedentem in throno, cuius oculi sicut flamma ignis, vestis ejus aspersa sanguine, & de ore ejus procedet gladius utrinquè acutus, ut in illo percutiat gentes quæ noluerunt illum regnare super se?

Væ quando Agnus mansuetissimus jam leo victor de tribu Juda ascendet ad prædam, & obtinebit, & reget in virga ferrea gentes peccatrices, & calcabit torcular vini furoris Dei omnipotentis, & regnum ejus erit in justitia super eos qui regnum misericordiæ ejus spreverunt!

Væ ergo, væ peccatori qui contemnit divitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei, nec attendit ad illam summam benignitatem Domini quæ ipsum ad pœnitentiam tam misericorditer provocat!

Væ, quoniam secundum duritiam suam & impenitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei!

Væ, quia tunc ille clemens & misericors Dominus, Salvator patientissimus, Pater indulgentissimus, Medicus benignissimus, ulti& Judex

sæctus, occurret impiis qui saturati & impinguati
levaverunt cor suum, & oblii sunt mandatorum
ejus, velut leaena & ursa raptis catulis, & scindet
eos velut bestia agri, & dirumpet interiora jecoris
eorum, & consumet eos quasi leo!

CAPUT XI.

Continuatio prima.

1. **S**CRIP*TUM* est, & erit quandò aperientur
libri, & mortui judicabuntur ex his quæ scripta
erunt in libris secundùm opera ipsorum.

Scriptum est, & erit quando aperietur & liber
vitæ, & qui non fuerit inventus in illo mittetur
in stagnum ignis paratum Diabolo & Angelis ejus,
ubi detrudentur & mors & infernus, & chaos
impermeabile firmabitur inter epulas sempiternas
Agni & locum tormentorum, undè ascendet fumus
in secula seculorum, ubi ignis non extinguetur,
ubi vermis non morietur, ubi nulla spes, redemp-
tio nulla, & ubi tenebræ, fletus, stridor dentium,
& horror inhabitabunt in sempiternum.

Scriptum est, & erit quando colligentur ab
Angelis zizania in fasciculos ad comburendum,
& frumentum in horreum, ut patrifamilias agri
Domino in æternum servetur:

Scriptum est, & erit quando omnes superbi

& omnes facientes impietatem erunt stimula quam inflammabit dies succensa in splendore solis justitiae illucescentis:

Et tunc certè juvabit magis cum Joanne desertum inhabitasse, cinctum zonis pelliceis, vestimenti cilicinis indutum, silvestribus cibis nutritum, quām in domibus Regum vixisse mollibus vestitum & exquisitoribus ferculis impinguatum:

Tunc tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollietatem & teneritudinem nimiam, videns, non temporaneam hanc quæ tam citò transivit, sed æternam vitam quasi pendentem ante se, stabit corde pavido, deficientibus oculis, animâ mœrore consumptâ.

3. Heu! quis consolabitur in die desolationis lugentes præ humiliatione & confusione filios & filias hominum, qui in vita priori elevati sunt, & ambulaverunt extento collo, qui nutibus oculorum ibant plaudentes & ludentes, & composito gradu incedentes?

Quandò auferet ab eis Dominus in ira sua ornamen tum calceamentorum, pelles rubricatas, & torques, & monilia, & armillas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & acus, & specula, & vittas, imò & palliola, & mutatoria, & linteamina?

Et quandò erit eis pro suavi odore foctor, & pro

zona funiculus , & pro crispante crine calvitium,
& pro fascia pectorali cilicum ?

Heu ! quis exaudiet tunc mœrentes & lugentes,
& præ nuditate & egestate ululantes , & in terra
prostratos & desolatos jacentes , quandò stante
accusatore Diabolo à dextris eorum , jam non erit
qui misereatur , & oratio illorum præpostera fiet
in peccatum ?

4. At quis subitus horror invasurus est in die
illa sectas peccatrices quæ dimissæ fuerunt ad tem-
pus , ut bellum facerent adversus Sanctos & civi-
tatem sanctam Jerusalem , quandò apparebit Deus
conterens bella !

Sectas , tum quæ evertere & diruere conatae
sunt , tum quæ propter transitoriam rubiginem
despicere ausæ sunt , non aliam quam ipsam do-
mum Dei firmatam supra firmissimam petram !

Heu ! quis erit planctus decipientium & decep-
torum !

Planè plangent planctu magno quasi super uni-
genitum , aspicientes quam fixerunt gladio
linguae sponsam Christi , tunc demùm absque ruga
& macula , & vitro lucidiorem , descendenter de
cœlo à Deo :

Plangent planctu magno , qui vocem ejus &
sponsi sancti ejus contemnentes , in luce noluerunt
ambulare lucernæ lucentiæ in caliginoso loco , do-
nec dies ille lucidissimus elucesceret :

Plangent planctu magno , qui evanescentes in cogitationibus suis , tunicam Domini inconsutilem scindere ausi sunt , militibus crucifixoribus atrociores :

5. Plangent planctu magno , qui in proprio sensu superbientes , oblii sunt omnem prophetiam Scripturæ propriâ interpretatione non fieri , sed sicut nec voluntate humana allata est , sed à voluntate Dei per homines Dei plenos Spiritu sancto , ita ex ejus dispositione ab iis interpretandam quibuscum manere promisit omnibus diebus usque ad hanc quæ tunc revelabitur consummationem seculi.

Væ ergo cæcis & ambulantibus in tenebris ! sed vœ amplius ducibus cæcorum , qui dum cæcis cæci ducatum præstant , dicunt se videre , quia peccatum illorum manet !

Væ qui habentes clavem scientiæ , nec ipsi intrant , nec alios sinunt intrare !

6. Sed vœ pessimum & ultimum Magistris mendacibus qui jam dicunt : Ubi est adventus ejus ? ubi promissio Redemptoris ? affirmantes , ex sensu & desiderio cordium deceptorum & mentium inquinatarum , omnia in circulo perseverare ut sunt ab initio creaturæ , non attendentes quia unus dies apud Dominum sicut mille anni , & mille anni sicut unus dies !

Vœ ultimum & pessimum iis qui juxta temporaneæ creaturæ mensuram & cogitationem de

æterni Dei patientia & expectatione auspicantes, introducunt sectas perditionis, docentes viam Ba-laam, & sequentes suas luxurias, viam veritatis blasphemant !

Væ , quia videntes videbunt venientem Domi-num in nubibus cum omnibus Sanctis suis , & serò nimis frustrà credent , & cum dæmonibus contremiscunt , transeuntibus cœlis magno impetu à facie ejus !

9. Et beati tunc , beati qui olim sanctæ doctrinæ depositum fideliter custodientes , & thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum , expectaverunt , & præparaverunt se in adventum diei Do-mini !

Tunc enim nec fas erit sententiam procasti-nare , nec testes recusare , nec fallere Judicem verbis , nec flectere donis , nec facta vel dicta vel cogitata denegare , nec intentiones & affectus ob-tenebrare :

Tunc secretissimos recessus mentium divinus investigabit & patefaciet fulgor , & ad claritatem ejus expansi sinus omnes , omnium obtutibus simul evomant quæ celabant :

Tunc confundentur qui suo ventri vel utilitati servientes , per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

8. Tunc fugabuntur & dulces errores , & fallacia blandientium Doctorum documenta , & umbræ

decisionum lactantium peccatores in delictis suis,
nec amplius mentietur iniquitas sibi :

Tunc pari sententia damnabuntur & qui lactant
& qui lactantur peccatores, facientes & coⁿsente-
tientes, peccatores qui laudantur & benedicuntur
in desideriis animæ suæ pariter & laudatores &
comprobatores illorum :

Tunc judicabit pupillo & humili justus Judex,
& malè judicata rejudicabit, & illicetè jurata con-
futabit ; & impius qui magnificans se super terram
jam dicebat in corde suo, *Oblitus est Deus*, videbit
quia non in seculum oblivio erit pauperum, &
quia patientia eorum non peribit in finem :

Videbit qui dixerat, *Non requiret*, quia est Deus
interrogans justum & impium, & requirens in
omnes adinventiones peccatorum :

Videbit quia Dei est ultio, & ipse retribuet in
tempore.

C A P U T X I I .

Continuatio secunda.

I. TUNC qui nunc judicare justicias Dei non
verentur impii ponentes in cœlum os suum, in
tenebris conticescent, & confundentur qui dicunt:
Cur attrahit illum Deus in misericordia sua? hunc
relinquit in furore suo? cur impius prosperatur in

via sua usque ad finem? justus in dolore vivit & moritur? cur fecit hominem Deus quem filium perditionis & igni æterno tradendum fore prænoscit?

Tunc enim arguet Deus, & statuet hominem contra faciem suam, & misericordiæ detrectatores, qui olim blasphemare sanctitatem Dei ausi sunt, confiteri cogentur quia omnia fecit Deus in misericordia sua, & miserationes ejus super omnia opera ejus.

2. Justificabitur Deus super divitem epulantem splendide & vestitum byssō, qui prosperatur usque ad mortem primam, & super mendicum in ulceribus & egestatis cruciatu degentem usque ad metam ultimam in vita prima; & discet impius quia est & mors secunda & altera vita quæ hominem manet inexterminabilem; & tunc credet, heu! serò nimis, incredulus, cui in hoc quod in Deum justum credere debuit per infusum rationis lumen, & hunc futurum novum rerum ordinem prænoscere necesse fuit cum Sancto Job ex hac ipsa transitoria inordinatione.

Justificabitur & in sanctificatione electorum, gratis vocatorum, gratis redemptorum, gratis sanctificatorum in sanguine Salvatoris; & in reprobatione maledictorum justè damnatorum, quia vocati sunt & renuerunt; frustrà redemptorum, quia conculcaverunt gratiam Dei; frustrà legem

fanc&tificantem Dei & sanctum jugum ejus edoctorum, quia in propria voluntate & malitia pollui maluerunt & commaculari.

3. Justificabitur & in scientia, & in praescientia, & in praedestinatione, & in statutis, & in decretis, & in ordine naturae, & in ordine gratiae, & in sapientia, & in potentia, & in justitia sua.

Et tunc demum in revelatione divitiarum misericordiae & necessitatum justitiae confitebuntur & justi & injusti, & benedicti & maledicti, & oves a dextris stantes, & hœdi a sinistris, quia Deus absque ulla iniquitate, fidelis, justus & rectus, & quia perfecta sunt opera ejus & omnes viæ ejus judicia.

4. Sed, heu! quam dispar erit exitus paris hujus confessionis, in qua agnoscent omnes habitatores orbis, quia omnes viæ Domini rectæ, omnes justæ, omnes immaculatae!

Cantabunt Sancti misericordiam & judicium: ululabunt & horrescent peccatores, quia judicia Domini vera justificata in semetipsis.

Lætabuntur & gratias agent empti de terra, qui cum mulieribus non invenientur coquinati, qui sicut in die honeste ambulaverunt induti Dominum Jesum Christum: lugebunt & frement qui velut in nocte vitam vixerunt in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, in contentione & æmulatione, carnis curam facientes in desideriis.

Fulgebunt sicut sol qui crucis ignominias non horruerunt, improperia Christi sustinuerunt, & cum Jesu fideliter permanserunt in temptationibus suis.

Obtenebrescent adoratores mundi & cultores, qui portaverunt imaginem & characterem ejus in fronte & in manu, mente & opere olim venditi legibus ejus, quia jam præteriit figura illius & evanuit.

5. Sed quandò hæc erunt, & quod signum adventū Domini? Audiamus & contremiscamus: Juxta est, scriptum est, juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

Ipse ait summus Judex: De die illa nemo scit, sed sicut fulgur quod exit ab oriente & paret usque ad occidentem, ita erit & adventus Filii hominis. Apud Apostolum legimus: In momento, in iictu oculi. Apud Discipulum quem dilexit Jesus, ipsum Dominum Jesum in revelatione habemus intonantem: Ecce venio citò.

O quam horrendus reditus peccatoribus! quam dulcis apparitio Sanctis & Electis!

Clament isti in spe & consolatione, *Amen, veni, Domine Jesu!* qui regnum Dei sperant, credunt, & diligunt, & ipsum advenire corde & ore quotidiè deprecantur.

Horrentes incipiunt illi vel ex hac hora dicere montibus, *Cadite super nos, & collibus, Operite*

nos, qui Jesum regnare nolunt super se , vel advertant quo modo tunc poterunt fugere à facie Dei & Agni.

6. Beatus qui audiens verba terribilia voluminum Sanctorum perterrebitur & compungetur corde !

Beatus qui auditis verbis quibus intonat Deus maledictum & stuporem super peccatores , humiliabitur coram Domino , & scindet cor suum , & flebit !

Quia colligetur ad patres suos & ad sepulcrum suum in pace , & in pace in idipsum dormiens & requiescens surget in incorruptione , & confidenter stabit in die hac à dextris Redemptoris , nec partem habebit in omnibus malis quæ Dominus inducturus est.

Beatus qui ultima providens revertetur à viis suis pessimis , dum adhuc dies est !

Beatus qui abjiciet vanitates & insanias falsas , & elongabit se ab his qui indurant cervicem suam & obedire contemnunt Domino Deo suo !

7. Beatus qui nunc mature fugiens manebit in solitudine , longè à civitate super muros cuius iniquitas & injustitia , & in cuius medio vanus labor , sollicitudo , fallacia divitiarum & laquei diaboli , & eligit abjectus esse in domo Dei magis quam gloriosus habitare in tabernaculis peccatorum !

Quia in die hac, qui humilis fuit in oculis suis,
& vilis factus est coram Domino, surget in gloria,
& cum servis & ancillis Domini gloriosior appa-
rebit.

Beatus qui antequam irruat nox in qua nemo
potest operari, de medio civitatis cui iniquitatem
ejus finem daturam fore in proximo videre est,
exibit cautus !

Quia veniens veniet dies, & non tardabit, in
qua super eam irruent simul plagae ejus omnes,
mors & luctus & fames, & igne comburetur.

Beatus qui fugiet ad montes dum adhuc tempus
supereficit, ne gloriae ejus & deliciarum & delictorum
particeps sit !

Et ut in die hac non misceatur illi duplum in
poculo irae Dei, nec sortem habeat cum illa, cui
quantum glorificabit se, & in deliciis fuit, tantum
retribuetur tormentorum & luctus.

8. Beatus qui cum timore & tremore operans
salutem suam, memor erit omnibus diebus verbo-
rum Christi dicentis : Cœlum & terra transibunt,
verba autem mea non transibunt !

Beatus qui assiduè in istis meditabitur : Ecce
venio sicut fur in nocte ! Attendite vobis, ne
forte graventur corda vestra in crapula & ebrie-
tate & curis hujus seculi, & superveniat in vos
repentina dies illa; tanquam laqueus enim super-
veniet super faciem omnis terræ. Vigilate itaque

omni tempore, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Et iterum: Vigilate & orate; nescitis enim quandò tempus sit, nescitis quandò Dominus veniat, ferò an mediâ nocte, an galli cantu, an manè.

Et non modò vigilate, sed quia de die & hora nemo scit, estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est, & qui moram facit venire Dominus, veniet in die qua non sperat malus servus, & horâ quâ ignorat.

9. Beatus ergo vir qui semper est pavidus! heu! jam jamque prædicatum est evangelium in universo orbe: jam jamque completa sunt fortè quæ scripta sunt in libro plagarum & philarum iræ Dei: jam jamque caput extollit antichristianismus, à diebus Joannis inauditus, refrigescit charitas, evanescit fides.

O Domine! salva nos ex hora hac, & abbrevia dies illos ultimos propter electos tuos! nec à sæviente bestia quæ surgit ab abyssi puteo, & ascendit à mari, perfodi sinas domos nostras, in quibus miserante te jam per tot secula prava & tenebrosa, perque tot & tanta bella, integrum fidei sanctæ tuæ depositum servatum est!

Illumina, Domine, tenebras nostras, ne simus ad lucem falsam tenebricosæ doctrinæ, sicut qui palpant in meridie!

Fac ut à lethali haustu caveamus plus quam à

veneno mortifero , etsi propinquetur in auro , ne
spreta spe sancta quam habemus in te , jaceamus
in volutabro concupiscentiarum nostrarum , &
simus sicut vulnerati dormientes in sepulcris ,
quorum non es memor amplius !

10. Serva , Domine , quam promisisti servare
contra portas inferi Ecclesiam sanctam tuam ab
hora temptationis , quae venit in orbem universum
tentare habitatores in terra !

O Salvator noster , qui dedisti temetipsum pro
nobis , ut nos redimeres ab omni iniquitate , &
mundares tibi populum acceptabilem sectatorem
bonorum operum !

Fac ut teneamus & custodiamus usque in finem
opera sancta tua donec venias : da ut abnegantes
impietatem & desideria doctrinæ pravæ , piè &
sobriè & justè vivamus expectantes beatam spem
& adventum gloriæ sanctæ tuæ :

Fac ut in iis quæ credita sunt nobis fideliter
permanentes , ut filii Dei & filii lucis ambulemus
in mandatis tuis & sanctæ Ecclesiæ tuæ : & nunc
ô Domine ! sanctifica per omnia servos tuos , quos
ad te tam clementer vocare , tam misericorditer
revocare dignatus es , ut integer spiritus noster
& anima & corpus in adventum tuum servetur ,
dignique & sine querela mereamur praesentari in
die hac ante tribunal tuum . Amen .



C A P U T X I I I .

Væ Divitibus in concupiscentiis enutrientibus corda sua : Beatitudo centupla Pauperibus spiritu.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

I. **Q**uis est, Domine, quis inter servos tuos qui paupertatem divitiis, labores & fudores otii & deliciis anteponere anceps & dubius jam cunctetur, postquam propter nos egenus factus es cum esses dives, ut tuâ inopiâ nos efficeres divites?

Hoc primùm & quasi in capite Evangelii sancti tui verbum legitur : Quia in propria venisti, & tui te non receperunt.

Scimus quia tibi nascenti locus vix fuit apud homines, & quia à diversorio pleniori in ovium receptaculum confugere & nasci voluisti.

Scimus te natum pauperis virginis matris involutum pannis fuisse, summum hominem pastorem, missum ad oves quæ perierant dominus Israel.

Scimus in præsepio reclinatum : scimus & te in laboribus fuisse à juventute tua, & pauperem vilia & abjecta apud homines fabrilia opera exercuisse, & indè victum & vestitum quæsivisse.

Scimus & te ad aratra & juga conficienda hu-

miliasse manus tuas, fabri lignarii filium reputatum, quin & fabrum nuncupatum. Hoc habemus ex Sancto Justino, illud legitur apud sanctum Evangelistam Marcum.

2. Scimus te pro patria & habitaculo tuo in aridioribus partibus Galileæ obscuriorem & vilem, & quam irridebant superbi Pharisæi habitatores Jerusalem, urbiculam elegisse præ millibus Juda.

Scimus te pauperem inter fratres multos & sorores, id est fratribus filios, ibi computari voluisse per lustra sex.

Scimus & post hæc in evangelicæ vitæ tuæ cursu, in diebus clarificationis tuæ te pauperem adeò fuisse, ut nec haberes ubi caput reclinares; tuncque vel quasdam sanctas mulieres de facultibus suis & tibi & Apostolis tuis providisse, vel illos qui & te & illos prædicantes evangelium regni Dei recipiebant, tibi alimenta præbuisse, teque ea pro mercede sumere velut operarium non recusasse.

Scimus demùm, & quis non attendet? quia adeò in excessu tuo pauper esse voluisti, & à terrenis abesse, ut à terra elevatus in cruce nudus consummari volueris.

3. Tam multiplici reprobata exemplio Magistri, in præsepio nati, per omne tempus silentii sui in arte fabrili & labore manuum suarum sustentati, in diebus ostensionis suæ non habentis ubi caput

reclinaret, nudi tandem morientis in patibulo crucis, divitias illas & opes mundanas quis post hæc erit servus dignus sub tanto magisterio computari, qui possit has non fastidire dum adsunt, nedum ambire si desint?

Pauper dignatus es imprimis vocare pauperes & parvulos & humiles, & hoc nomine à Prophetis designatus de te legimus quia evangelizare pauperibus missus fuisti.

Piscatores & agricultores in Apostolos segregasti, qui relictis omnibus pauperes secuti sunt pauperem, ut essent discipuli digni magistro suo: pauperes adeò ut & fames adegerit illos aliquandò ad vellendum spicas dum transirent per sata.

4. O Domine Jesu, qui veniens in hunc mundum tam altè paupertatem elegisti, qui nascens, vivens & moriens paupertatem consecrasti, divitias reprobasti, quis melius te novit reprobare malum & eligere bonum?

Felices ergo qui cum Sancto Petro & per os ejus dicere potuerunt: Ecce reliquimus omnia ut sequeremur te!

O verè beati quos beasti & verbo & exemplo! quibus regnum cœlorum assignasti! quibus thesaurum non deficientem promisisti! quibus viam perfectionis ostendisti! quos elegisti & assumpsisti ut sacris vèstigiis tuis pleniùs & strictiùs adhærerent!

O verè beati qui in labore hominum sunt, &

cum hominibus flagellantur ! qui Adæ & posteris ejus pœnitentiam injunctam à factore suo non declinant ! qui in labore comedunt ex terra de qua sumpti sunt , & in sudore pane vescuntur usque dum pulvis revertatur in terram suam, undè erat , & spiritus redeat ad eum qui dedit illum ! Horum clamorem non oblivisceris , Domine , horum desideria & præparationem cordis audivit auris tua.

5. Infelices verò , & eò infeliores quò se beatiores reputant , divites mundi hujus qui in deliciis vivunt , quibus deliciæ sapiunt , qui ducunt in bonis dies suos , qui in labore hominum non sunt , nec cum hominibus flagellantur , qui de superfluis palatia construunt mutantes quadrata rotundis , qui majora horrea faciunt & dicunt animæ suæ : Requiesce , comede , bibe , epulare !

Infelices verè , quia dies ista vitæ brevis , & nox proxima est , & quia hac nocte repetent animam illorum ! & væ tunc iis qui consolationem suam habuerunt in vita priori , quia retribuetur eis vicissitudo desolationis !

6. Recordemur judicii Abrahæ dicentis diviti : Memento , fili , quia recepisti bona in vita tua , & mendicus similiter mala.

Horrendum planè divitibus judicium hoc , nec in posterū fas est dicere : Quid peccamus ? bona est omnis creatura Dei , nostra licite possidemus , nostro

nostro utimur dominio , ab injustitia , fraude & rapina abstinemus .

Siquidem dives ille quem tu , Domine , in parabolam adduxisti , in nullo horum accusabatur , & si crudelitatis tacite forsan arguitur quod clauserit viscera sua super esurientem fratrem suum , hoc tamen solum expressum invenimus , quod indebatur purpurâ & byssō , & epulabatur quotidie splendide , nec immisericordia ejus in judicio Abraham memoratur .

7. Heu ! Domine , quam terribilis es in judiciis tuis super filios hominum ! cruciatur dives in flamarum tormentis , quia bona recepit in hoc seculo .

Stat vindex sententiae Dei damnantis hominem ad laborem .

Vivit ultius ultra vitam hanc , qui in hominem inexterminabilem animadvertisat super institutione sancta ista sudoris , laboris & poenitentiae ; & hoc scelus est de paradiso voluptatis ejecto , in terra maledicta in opere hominis , alterum paradisum per deliciarum varios apparatus & adinventiones sibi quærere .

Quis ergo de filiis Adami , si sapiat , inflabitur multitudine possessionum ? quis extollebit terrarum dominiis ? quis legem Dei laborem imponentis audebit contemnere , vel etiam dissimulare ?

8. At quid superest divitibus , ut longè faciant

à se tremendum illud vœ , quod intonat summa veritas dicens : Vœ vobis divitibus , quia habetis consolationem vestram ! vœ vobis qui ridetis , quia lugebitis !

Quid restat contristatis ad verbum perfectionis , nec valentibus omnia vendere , & dare pauperibus , ut veniant & sequantur Dominum ?

Quid restat ut per angustum foraminis intrare possint homines corpulentiores & crassiores nimis ?

Quod apud homines impossibile prorsus est , apud Deum possibile invenitur , qui dignatur & apud Reges & Principes imitatores Christi sibi præeligere , verè pauperes spiritu & affectu , parvulos factos in splendore terrenæ potestatis , nudatos à propriis & cor non apponentes in affluentia divitiarum .

9. Hi pauperes spiritu sunt qui in medio Babylonis , etsi nutriantur in croceis , quotidiè gemunt præ desiderio cœlestis patriæ :

Qui ut Esther nunquam biberunt vinum libaminum , & abominantur in corde signum gloriae suæ in diebus ostentationis suæ .

Hos servat idem Dominus , qui tres pueros de medio fornaci ardantis eduxit salvos & incolumes .

Hi sunt quos cum Zachæo dimidium bonorum retinentes inter filios Abrahæ annumerare dignatur Christus .

Dispergunt & dant pauperibus : dividunt pro-

pria, & ditiores fiunt, nec amplius thesaurizant sibi, sed in Deum divites fiunt.

Hi sunt filii lucis prudentiores, qui in opum plurimarum administratione, villici iniquitatis prudentiam imitantur:

Qui satagunt amicos sibi facere de mammona iniquitatis, ut in die penuriæ à janitoribus tabernaculorum æternorum admittantur:

Qui noverunt peccata eleemosinis redimere, terrenis pecuniis cœlestè debitum solvere, æruginosis & peritulis thesauris regnum æternum, gloriam immarcescibilem comparare.

10. Hi sunt habentes, tanquam non habentes gaudentes absque lætitiae secularis lascivia, & tanquam non gaudentes: possidentes absque proprietatis ardore, & tanquam non possidentes: utentes hoc mundo propter necessitatem, & tanquam non utentes.

Hi dum beati dicuntur inter terrigenas, in cordibus dicunt cum Psalmista: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est multùm, & diù nimis incola fuit anima mea cum habitantibus Cedar, cum his qui oderunt pacem!


Hi domini vocantur ab aliis, & possidere videntur à foris: intus sibi ipsis ministri sunt & dispensatores Dei in bonis multis per omne tempus peregrinationis suæ, scientes quia cui multùm datum est multùm retribuetur ab eo, & cui

commendaverunt multum plus petent ab eo.

Hi semper attendentes quia non habent hic manentem civitatem, & in veritate cordis futuram inquirentes, omni hora vigilant, & parati stant ut apperiant pulsanti Domino suo, præsto reddere villicationem suam sub qua gemunt, & velut gravantem sarcinam deponere.

Hi de ratione illius & gestione confidunt in misericordia Domini sui, cuius vultum quæsierunt, & habuerunt testem assiduum rectitudinis & simplicitatis cordis sui.

Et ipse optimus Dominus cum usura accipiens actus & affectus, labores & voluntates, talenta & proventus, de manu bonorum & fidelium servorum suorum, in multis & magnis constituet qui super pauca & parva fideles ad finem usque fuisse invenientur, in remunerando magnificos dispensatores magnificentissimus, quemadmodum & in judicando erga misericordes misericordissimus.



CAPUT XIV.

Oratio.

Vox animæ revertentis.

1. O DOMINE! trahe me post te: quid enim possum absque te? Si elongaveris auxilium tuum à me, anima mea citò sit sicut terra sine aqua tibi:

Subito arescit cor meum , si subtrahatur panis tuus
pauperi & mendico.

O Domine Jesu ! fac ut implear agnitione voluntatis tuæ in omni sapientia & intellectu spirituali : semitas tuas demonstra mihi , & semitas tuas edoce me :

Fac ut in eis ambulem , dignè Deo per omnia placens in omni opere bono , fructificans & crescens in scientia Dei :

Fac ut in omni virtute confortatus , secundum potentiam gratiæ tuæ firmiter stem in omni patientia & longanimitate cum gaudio.

Gratias ago tibi , Pater sancte , toto cordis & mentis affectu , qui dignum me fecisti in partem fortis Sanctorum , in lumine sancto tuo :

Qui eripuisti me de potestate tenebrarum , & transtulisti in regnum Filii dilectionis tuæ , & sub jugo ejus suavissimo , & onere ejus levissimo & pretiosissimo transire fecisti.

2. Trahe me post te , ô benignissime Jesu ! in odorem , in fragrantiam suavitatis quæ est sub illo sancto jugo curram.

Notas fac mihi vias vitæ , qui via & vita es.

Viae tuæ viæ pulchræ , & omnes semitæ tuæ pacificæ.

Magister bone , dux & præceptor meus , qui mihi præire dignatus es in via morum , præparare iter virtutum , viam prudentiæ docere , & tradere legem vitæ & disciplinæ !

Fac ut anima mea verè conversa concupiscat semper ire post te, semper tuis inhærere vestigiis, ac sequi te quocumquè ieris.

3. In hoc maximè indigeo auxilio tuo, ut valeam abnegare memet ipsum, tollere crucem meam & sequi te.

Scio & confiteor quia nequaquam possum pervenire ad te, nisi gradiendo post te.

Sed nec hoc possum, nisi adjutus à te; ideòque precor te ut trahas me post te.

Beatus cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo dispositae in valle lacrymarum, quandam feliciter perventurus usque ad montem Dei, montem sanctificationis tuæ, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

CAPUT XV.

Via Vitæ.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. CHRISTUS via nostra est, via sancta, via secura, via perfecta; nec alia est quæ ducat ad vitam.

In hoc uno sanctus eris, si Christo conformis fueris: qui vult sanctè vivere, debet Christum incessanter intueri & imitari.

Verum, heu! quam multi cupiunt Christum
consequi, sed non & sequi! quam multi non
curant quærere quem tamen desiderant invenire!

Quam multi, cum Balaam optant sibi extrema
electorum, sed non ita & principia, mori deside-
rant morte justorum, nec vivere satagunt vitâ
Sanctorum!

Precantur novissima sua fieri horum similia;
ad currendam autem eamdem viam trepidant
accingere se.

Non latet carnales homines & mundanos, quia
mors peccatorum pessima: non latet, quia præ-
tiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum
ejus: non latet beatos esse mortuos qui in Do-
mino moriuntur, quia cum dederit dilectis suis
somnum, ecce hæreditas Domini.

Ideò mortem spiritualium virorum & perfec-
torum optant ipsi mundani, quorum tamen vitam
abhorrent.

2. O hebetudo & stoliditas, adeò insanum pac-
tum ponere, ut viventes velint esse de mundo,
morientes partem habere cum Christo! quandiu
vivunt voluntari eligant in carne & sanguine, & in
hora retributionis de volutabro carnis ad spiritua-
les Agni nuptias transmeare nefariam spem sibi
reponant!

Quotidiè bona recipere, & in deliciis divitiarum
vivere præsumant in hac vita, & pariter in futura

gaudere & consolari non diffidant !

Qui lotus est, qui mundus est, ille solus habet parte in cum Domino : foris carnales & mundani : lapides murorum supernæ civitatis Jerusalem ex lapide pretioso, lucidiores vitro, nive candidiores : non permisceri fas erit margaritas cum fimo, non aurum cum luto.

CAPUT XVI.

Doctrina Sapientiæ & Orationis, &
aversionis à quocumque delicto.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

VANI sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.

Quære sapientiam quæ à cœlis est : proh ! quam longè abest ab illa damnata & reprobata sapientia terrestri, carnali & diabolica, quæ est mundi & seculi hujus nequissimi !

Cœlestis sapientia attingit ubique propter suam munditiam, & nihil inquinatum incurrit in illam.

Suscipit inquirentes se, & præit in via justitiae : qui illam diligit, diligit vitam, & qui vigilaverit ad illam, complectetur placorem ejus.

Insipientium numerus infinitus, sapientia autem multis manifesta non est ; quibus autem agnita

est, permanet usque ad conspectum Dei.

Injice pedem tuum in compedes illius, & collum tuum in torques ejus: subjice humerum tuum sub jugo ejus, in omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus.

Investiga illam, & manifestabitur tibi: in novissimis invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblationem.

2. Accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad temptationem, deprime cor tuum & sustine.

Ne festines in tempore obductionis, sustine sustentationes Dei, conjungere Deo & sustine.

Omne quod applicitum tibi fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.

Crede Deo, & recuperabit te: spera in illum, serva timorem illius, & in illo veterasce.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet.

3. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: ipse est tacens, sciens tempus aptum: sapiens in verbis seipsum amabilem facit.

Sapiens non laudat virum in specie sua, nec spernit hominem in visu suo; mansuetus est ad audiendum verbum, ut intelligat & cum sapientia proferat responsum verum; non est citatus in

lingua sua , & inutilis & remissus in operibus suis.

Sapiens per verbum dulce multiplicat amicos,
& mitigat inimicos , & lingua eucharis abundat
in ipso.

Auditum verbum adversùs proximum in ipso
commoritur , nec à facie verbi parturit ut fatuus.

Amico pariter & ignoto non narrat fensum
suum , nec omni homini cor suum manifestat.

Ubi auditus non est , non effundit sermonem ,
nec importunè extollitur in sapientia sua ; sed nec
abscondit illam in dècore suo , ut glorificetur Deus
qui tribuit eam : in lingua enim sapientia dignos-
citur , & sensus & scientia & doctrina in verbo
sensati.

4. Adora Deum in oblatione , & suscipietur
deprecatio tua , & usque ad nubes propinquabit.

Oratio humilantis se nubes penetrabit : & do-
nec propinquet , non consolabitur , & non discedet
donec Altissimus aspiciat.

Rectè orare , rectè est Deum quærere : lucem
quærere habes propter ignorantiae tenebras , vir-
tutem petere propter nativam infirmitatem.

Hæc duo sicut omnia habes in Deo & in verbo
ejus : Verbum caro factum virtus est & sapientia.

Verbum opem feret infirmitatibus tuis : Ver-
bum eruet te de potestate tenebrarum : Verbum
filium lucis te faciet , & sicut filius lucis ambulare
docebit.

Verbum medebitur vulneribus tuis, necessitatibus remedia, viribus subsidia præstabit, resarciet defectus, profectus accrescere faciet.

Verbum dabit quidquid credenti & amanti oportet, decet, & expedit; in ipso habebis omnia: Verbum abbreviatum Deus meus & omnia.

Noli aliud petere, aliud intendere, aliud desiderare, aliud velle, aliud cogitare, præterquam ipsum vel propter ipsum, vel in ipso, ut ipsum sit in causa in omnibus postulationibus tuis.

5. Consurge in nocte, in principio vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.

Tempus feriatum quære ad orandum, quia aptius & commodius illud est.

Quandò profundum indicit nocturnus sopor silentium, liberiùs & purius ad Dominum ascendet oratio.

Gratior, & lucidior, & securior, quæ sic ascendiit solo arbitro Deo, & sancto Angelo qui illam superno altari suscipit præsentandam.

Serenior & placidior quæ nullo respergitur pulvere terrenæ sollicitudinis, nullâ aspicientis laude seu adulacione tentatur.

6. Quasi à facie colubri fuge peccatum: dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum: quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas.

Pone custodiam ori tuo & super labia tua signaculum certum, ut non cadas ab ipsis & lingua tua perdat te.

Memento quòd oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.

Cave & à leviori peccato, quia non modicum vel leve aestimari potest quidquid sit per quod offenditur summa bonitas, suprema majestas.

7. Nunquid pro levi culpa à transitu Jordanis & ingressu terræ promissæ seclusus est ipse Moyses?

Ille famulus in omni domo Dei fidelissimus, cui Dominus ore ad os loquebatur, cui palam & non ut aliis servis suis per enigmata apparebat.

Quid videtur levius quam exacerbatum sanctum hominem à populo semper queruloso & diffidente veritum fuisse ne lassatus jam esset Dominus per æternas duræ cervicis plebis hujus querimonias?

Quid remissibilius quam propter hanc diffidemtiam hæsitasse firmam promissionem facere, veritum forsitan ne omnipotentia Dei in contemptum veniret in conspectu domûs exasperantibus, si aperte in nomine Dei non obsequeretur natura? verisimilius propter id distinxit in labiis suis percutiens bis silicem.

Quid tam veniale videri potest? Attamen ideo

arcetur à transitu Jordanis ; terramque patribus promissam videre ex tunc solummodo indultum est illi, ad eam pedem inferre negatum.

Sed & quandò obsecrans ut transiret deprecatus est Dominum, firmum hoc audivit responsum : Sufficit tibi, nequaquam ultrà loquaris de hac re ad me.

8. Tantam attendens severitatem, quis non expavescet judicia Domini ? quis inspectis talibus exemplis & figuris futurorum non formidet ad leviorum neglectum divinæ voluntatis ?

Ille specialis Dei amicus, ille fidelis Minister qui Dei solius honorem, non quæ sua essent, non quid sibi honorificum foret, sed quod multis eò usque quæsivit ut renuerit divinæ ultiōni populum suum dimittere, etiam dum ipsi fiebat à Deo novi ducatus in posterūm alterius gentis melioris & numeriosoris promissio : ille, inquam, pro veniali, ut apparet, delicto ab ingressu patriæ tam ardenter desideratæ arcetur : quis non timebit, dum tanto rigore talis Dei servus & Propheta repellitur obsecrans & punitur ?


Et si à viridi ligno pro minusculo nævo has poenas sumpsit justus Deus, quo pacto vel ad levissimam culpam non contremiscat lignum aridum ?

Siquidem Dominus exercituum punire decrevit, quis poterit infirmare ? &, si manus ejus extenta, quis avertet eam ?

9. O Domine! noli etiam justos judicare, faciendo iudicium: ne reddas nobis secundum actus nostros, etiam quando nobis consciit non videmur; & tunc ne secundum opera nostra & Adae patris nostri facias nobis & secundum præsumptionem illius.

Sed suscipe nos semper in miseratione & misericordia tua; suscipe & in prosperitatis abundantia, & in adversitatis penuria.

Sustine nos & in malo & in bono; tuaque mansuetudo & clementia sit nobis in tempore tribulationis & in tempore consolationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis. Amen.



CAPUT XVII.

Nemo potest duobus Dominis servire:
redite ergo prævaricatores ad cor.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. N O N est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur: dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? Absit.

Hæc sunt verba ejus: Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Ergo non potes duobus dominis servire: usque-

quod anceps stas & dubius? Si verax est mundus, sequere eum; si solus Dominus Jesus viam Dei in veritate docet, ipsum solum obaudi.

Optio datur vobis, aiebat olim Josue universo Israeli congregato, eligite quod placet hodie.

Sic nunc in hora hac & tibi interiori voce clamatur: Elige vel mundo servire vel Christo: si Christo, servito ei corde perfecto atque verissimo, & aufer idola mundana quibus servisti in Aegypto.

Et considera quia Dominus Deus sanctus & fortis æmulator est, ignoscens & propitius conversis & revertentibus ad se in tempore opportuno.

2. At sicut omnia quæ pollicetur præstabit, implebit opere quod promisit, prospera cuncta venient credentibus in eum, nec unum verborum suorum præteribit incassum; ita & adducet quidquid malorum comminatur adversus verborum suorum contemptores & sancti fœderis desertores.

Additur tibi Samuelis voce: Noli recedere à tergo Domini, sed servi Domino in omni corde tuo, & noli declinare post vana quæ non proderunt tibi, neque eruent te, quia vana sunt: time Dominum & servito ei in veritate & ex toto corde tuo.

Considera quod hic in isto brevi capitulo propnuntur in conspectu tuo vanitas & veritas, vita & mors, bonum & malum, benedictio & male-

dictio, sicut olim à Moyse universo Israeli fuerunt oblata in campestribus Moab.

Elige ergo vitam ut vivas & diligas Dominum Deum tuum, & obedias voci ejus, & illi adhae-reas, qui est vita tua, & longitudo, imò & æter-nitas dierum tuorum.

3. Mandatum istud sanctum non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut dicas: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, & opere compleamus?

Ipse enim descendens ad nos Filius Dei detulit superabundantiam gratiæ sanctæ dilectionis, ignem illum venit mittere in terram, nihil arden-tius volens quam ut accendatur.

Multò verius ignea lex est Christi quam Moysis, multò abundanter habes in novo foedere, & audi-
re & facere quod præceptum est, illud sanctum & unum mandatum diliges ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua:

Et copiosius quam in lege Moysis juxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.

Amplior & copiosior est gratia & misericordia & pro justis & pro peccatoribus sub luce & igne Filii Mediatoris & Redemptoris, quam sub typis & figuris servi ductoris.

4. In rigore legis veteris , animæ illi tantum
quæ peccaverat inscia ex ignorantia & errore , per
Sacerdotem sacrificium expiationis licebat offerre ,
& sic impetrabatur ei venia & dimittebatur culpa.

At quæ commiserat aliquid per superbiam ,
quoniam adversus Dominum rebellis fuerat , peri-
bat de populo suo ; & quæ verbum Dei contemp-
serat , & præceptum illius irritum fecerat , dele-
batur & portabat iniquitatem suam.

In effusione & superabundantia misericordiæ
& charitatis descendens Christus ipsos peccatores
venit vocare , & nec qui per superbiam , nec qui
per impietatem & perseverantem voluntatem in
peccato vixerunt , imò nec qui sacrilego corde
premium sanctum & inæstimabile redēptionis suæ
& crucis conculcare non timuerunt , arcentur à
pœnitentia.

Redeant toto corde , toto corde diligent , toto
corde pœniteant , & ex tunc ad pedes Salvatoris
misericordissimè & indulgentissimè admittuntur ;
imò & Pater , ô dulce nomen indultum erga facto-
rem ! ad aspectum reversi filii junioris qui perierat
ruit in oscula , & cadens super collum ipsius , cum
jubilo fuscipit redeuntem & verè pœnitentem.

5. Revertere & tu ad hunc optimum Patrem ,
semper ad parcendum proclivem : ad piūm Salva-
torem , qui non venit animas perdere , sed salvare ,
cujus spiritus , spiritus clementiæ , mansuetudinis

& charitatis, qui misericordiam vult & non sacrificium:

Revertere ad eum qui solus potest educere te in manu forti, sicut olim Hebræos, qui & educet & redimet abundantius in novi fœderis immenso pretio, de domo servitutis, de carcere mundi & manu potestatum tenebrarum harum.

Ipse est Deus fortis & fidelis, admittens & custodiens paupērum revertentibus ad se, ut sincerè & ex toto corde custodiant præcepta dilectionis ejus.

6. Felix quem sibi sic elegit Dominus à servitute revocans, ut annumeret eum in populo sibi peculiari de cunctis populis qui sunt super terram.

Quām magna felicitas tua, ô peccator, sic revocate, sic suscente in salutari Domini, in Salvatore tuo! non taliter factum est omni & cuicunque,

O tu ergo qui de morte revocatus ad vitam transis cum novo Israele, cum populo qui salvatur in Domino! scito quia Dominus renovat mirabilia Ægypti in te, & quia ipse scutum est auxilii tui, & gladius gloriae tuæ.

O beatum cuius Dominus duxtor ejus est per nubem in die, & totâ nocte in illuminatione ignis!

7. Felices qui transeunt, ut omni vita sua sint in excubiis Domini, qui in deserto peregrinationis hujus & omnibus diebus peregrinationis suæ per solum verbum Domini figunt tentoria, & per

folum verbum ejus tentoria levant & proficiscuntur; qui ad nutum Domini laborant & operantur, & ad vocem ejus quiescunt & vacant; qui per diem insudant in fatigatione ministerii, & per noctem suaviter insistunt contemplationi, secus pedes Domini verba ejus audientes in silentio & quiete multa.

Tales fuerunt melius quam veteres Hebrei initio nascentis Ecclesiæ post verum transitum & conversionem non fictam novi & veri Israëlitæ, à quibus dolus omnis aberat, & in quibus verè Christus habitabat.

In patientia sua possidebant animas suas, edocti & humiliari & pati & contemni, non tantum cum Apostolo Paulo, sed & cum Apostolorum Magistro, qui hanc sibi specialiter reservat scientiam docere mansuetudinis & humilitatis ex corde.

Quin & mortificati & eosquè contriti ut æstimarentur velut oves occisionis, silentes gratias agebant propter spem quæ reposita erat ipsis in cœlo, & in verbo veritatis & evangelii gaudabant & exultabant ex abundantia præsentium tribulationum, quoniam merces eorum ex hoc copiosior parabatur in futuro.

8. Ad vincula, ad cárceres trahebantur, supplicia sustinebant & mortem; sed quanto magis opprimebantur, sicut olim Hebrei, tanto magis crescebant & multiplicabantur.

Sicut primos ita & secundos, ut in antiquo & typico ita & in novo Israele, quantò magis oderat eos mundus & affligebat illudens, quantò magis operibus duris, exilio, servitute, & omni famulatu conabatur ad amaritudinem perducere vitam ipsorum: tanto plus crescebat credentium numerus, tanto magis gaudebant pro nomine Jesu contumeliam pati, tanto superabundabant gaudio in omni tribulatione, aestimantes non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Tales fuerunt novi primi Israelitae patres nostri; filii Sanctorum sumus: tales nos oportet esse, si in veritate elegimus Christum, si verè & illi adhaeremus, qui eduxit nos de terrena Ægypto & servitute ferrea, qui confregit catenas servicis nostræ ut incederemus erecti.

9. Cum illis sanctis proavis nostris exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: cum ipsis caveamus conformes fieri huic seculo: reformemur in novitate sensus nostri, ut probemus quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.

Et postquam venientem lucem suscepimus, ut filii lucis ambulemus, nec reprobos imitemur Iudeos, qui dilexerunt tenebras magis quam lucem.

Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in comestationibus, non in contentione & æmulatione.

Fratrum nostrorum infirmitates patienter comportemus, non nobis ipsis placentes, sed proximo nostro placere studentes in bonum ad ædificationem.

Et si verbum illud, verbum crucis durum videatur, si mundanis stultitia est, firmiter credamus quia iis qui salvi fiunt Dei virtus est.

10. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, ait Dominus.

Laus impiorum brevis erit, & gaudium peccatorum ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia peccatoris, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur; & qui eum viderant, dicent, ubi est?

Velut somnium avolans in brevi non invenietur; transiet sicut visio nocturna; oculus qui eum viderat non videbit, neque ultrà intuebitur eum terra sua.

Et si Deus dedit illi locum pœnitentiæ, & ille abutitur in superbiam, mox nec reperietur locus ejus.

11. Transibit terra cum inquis habitatoribus suis, & in die quam scit Deus, quæ forsitan instat, in die post quam non erit altera similis, sole isto deficiente & seculo, ubi sapiens tunc stabit? & super quo innitetur?

Ubi conqueritor, quando ineluctabili luce stultam faciet Deus sapientiam hujus mundi? quando

cadet superbus & malignus in tyrannide olim dominatus pauperum & humilium? quandò depontentur potentes de sede, & scabellum pedum Christi ponentur?

Cogita quoniam hæc oportet fieri citò, quòd novissima hora est; quòd nox quæ præcedit jam ad finem vadit, dies autém appropinquet; quòd transibit mox hora cum potestate tenebrarum; quòd cito aspirabit verus ille dies, dies novus & sempiternus, & expirabit nox.

Nox, diabolus est rugiens circa nos: nox, Angelus Satanæ, qui nunc se transfigurat in Angelum lucis: nox, larvæ dubietatis & incertitudinis seculi nequam: nox, sapientia carnalis terrena & diabolica: nox, latens *antitheisma* in antichristianismo quod Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.

Hac cogitatione armatus assiduè vigila in hujus diei recordatione: Beatus homo qui semper pavidus est!

Explicit Liber primus de Transitu.





TRANSITUS

*Animæ revertentis ad jugum sanctum
CHRISTI JESU.*

LIBER SECUNDUS.

*Sapientiam loquimur, sapientiam verò non hujus seculi,
sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita
est. C O R.*

CAPUT I.

Beatus qui penitus consepultus est cum
Christo ! Beatus qui quotidiè tollit
jugum sanctum ejus !

I. **Q**UIS tribuet mihi ut conseptilar cum
Christo in Deo, ut complantatus factus
similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis ejus
quondam sim ?

Quis præter te, Domine, qui me per baptis-
mum ad hunc sanctum tumulum tuum, habita-
culum veri Christiani, vocare dignatus es ?

Quis docebit me mysteria absconditæ vitæ tuæ,
in qua primùm per triginta annos vivens sepeliri
voluisti, dum habitans in Nazareth, abscondi &
nesciri & despici elegisti, dumque erat, ut ait

Propheta, absconditus vultus tuus & despectus his
qui videbant, nec reputabant te?

Quis introducet me in utrumque tumulum
sanctum tuum, tumulum proficientium, tumulum
perfectorum, præter te, qui in utroque utrisque
exemplar temetipsum exhibere dignatus es, qui
& ibi parare venisti servis tuis securum domici-
lium, in abscondito faciei tuæ, procul à contur-
batione hominum?

O quis novit mori mundo habitans cum homi-
nibus, & inter illos potest annumerari, de quibus
Apostolus ait: Mortui enim estis, & vita vestra
abscondita est cum Christo in Deo!

2. Hoc novit verus Christi Discipulus, Christia-
nus verus.

Nec enim solitariis, vel in speluncis degentibus
hoc aiebat divus Paulus, sed Colossensibus, ad
quos pervenerat verbum veritatis eyangeli, sicut
& in universo mundo.

Communitas ergo Christianorum nascentis Ec-
clesiae tumulum illum mysticum noverat; in illo
docebatur abscondi ab optimo spiritualis vitæ
ductore.

Et in hoc, ô Domine Jesu! ut summus, ita &
primus institutor fuisti, qui latere silere & profi-
cere voluisti in abscondito domunculæ Joseph, de
quo id solum novimus donec factus es incipiens
quasi annorum triginta, quod subditus Virgini
matri

matri & Joseph, cuius filius putabar, proficiebas ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines.

In hoc verè juxta normam loquendi evangeli-
cam prius cœpisti facere quam docere.

3. Nec tantum infans verbum docuit nos per-
vagitus & fletus pueruli nascentis, & sanguinem
circumcisi octavo die :

Non solùm ita, prius facto quam verbo loque-
dam exhibuit charitatis, humilitatis & poenitentiæ,
cuius vocem nemo est qui non audiat :

Sed & nos, per silentium triginta annorum,
artem sanctam proficiendi in sapientia & gratia,
ille qui vera via nostra est, dignatus est edocere.

Exemplum dedit nobis, ut quemadmodum ipse
fecit, ita & nos faciamus : siquidem hoc intendere
debet Discipulus, ut sit sicut Magister ejus. Hæc
sunt verba Christi.

Exemplar omnibus, exemplar in omnibus,
viam novam incedit vocans omnes qui laborant
& onerati sunt, ut tollant jugum suum & sub illo
valeant requiem invenire.

Et sic partitur annos vitæ suæ, ut per undecim
partes lateat & sileat, in labore & sudore come-
dens de fructibus terræ cum filiis Adami, & per
ultimam tantum evangelizet, & operetur opus
quod dedit ei Pater ut faciat, usque dum consum-
metur.

4. Per tres circiter annos apostolicæ vitæ; exemplar exhibuit se bonus ille Pastor futuris Pastoribus, in dispensatione ministerii verbi sancti sui, in prædicatione evangelii regni Dei & regimine Ecclesiæ sanctæ suæ:

Per annos plusquam triginta, ovibus suis quæ audiunt vocem suam & cognoscunt Pastorem suum, ex multis ovibus adunatis in ovile unum, exemplar semetipsum dedit idem ille bonus & unus Pastor.

His breviorem & extremam vitæ partem, velut charitatis ultimum & summum fastigium, dedit inspiciendam bonus Dominus & Magister Discipulis suis, ut viderent & sacerent secundum exemplar in aperto exhibitum, supra montem monstratum.

Illis longiorem partem incolatūs sui in umbra & silentio exhibuit contemplandam, qui & numero plures sunt, & inter negotiorum & sollicitudinum spinas, tentationum & tribulationum pericula, indigent amplissimā curā & exemplis abundantissimis in vita communi.

Et sic, dum sub modio videris abscondi reputatus filius fabri, super candelabrum jam positus verè es, ô Jesu præceptor noster, lux vera, lucerna salutis, ut luceas omnibus qui sunt in domo fabrica tua!

5. Hoc ergo est unum negotium meum, Domi-

ne, ut absconditum contempler te in simplicitate
fanctarum ovoidalarum tuarum: eo enim superabun-
dantiori lumine fulget abscondita vita tua in terris,
Domine, quo sicut & in cœlis altius & profundius
posuisti tenebras latibulum tuum.

Quis dabit mihi lucernam illam adire lucentem
in caliginoso loco donec dies eluscesat evangelii
prædicandi? quis dabit mihi in domum Joseph
introduci, ut ibi contempler te, & deosculer pedes
Domini mei?

Quis mihi tribuat ut videam oculis mentis meæ
Filiū Dei in terris commorantem & cum homi-
nibus conversantem, soli Virgini matri cognitum,
& justo cui credita erant mysteria Dei?

Quis ostendet cordi meo puerum illum dulcis-
simum, jamdiu cum lacrymis & clamore valido
preces supplicationesque offerentem pro nobis à
primis diebus carnis suæ?

6. Quis ostendet mihi Dominum meum factum
adolescentulum & contemptum, dum justificatio-
nes Dei & nostrum non obliviscitur, sed quotidiè
operatur in silentio & humilitate?

Dum factus velut unus ex nobis, ad similitu-
dinem & imaginem Dei, de abysso insipientiæ in
qua jacebant comparati jumentis insipientibus qui
antea in honore non intellecerant, per abyssum
subjectionis & abjectionis, filios Adami reducere
satagebat:

Dum vilioribus puerulis Nazarenis per omnia similis factus scientiam Dei superabundanter parvulis revelaturus advenit olim tam infeliciter & frustra quæsitam in superbia & in abusione & mandati transgressione à parentibus primis :

Dum in sudore vultus sui vescebatur pane terreno terræ Plasmator & Dominus, dum in laboribus comedebat de proventibus terræ omnibus diebus vitæ suæ, qui satiat omnem terram de fructu munificentissimo operum suorum :

Dum pauper & in laboribus à juventute pœnæ peccati se subdit qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus.

7. O quām dulce & suave desiderium illud est, Domine, quo sicut ante adventum tuum desideraverunt multi Reges & Prophetæ videre te mirabilia facientem, desideramus & post assumptionem tuam à terra videre diem unum Fili hominis ore sancto suo evangelizantis regnum Dei !

Sed nec minus delectabile & jucundum desiderare, & exultare, ut videamus diem unum absconditæ vitæ Salvatoris nostri, ex illis de quibus dixit Propheta: Non audietur vox ejus foris, non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.

Sed quî fit, ut dum tu silere voluisti & nesciri ardeat vilis homuncio & videri & loqui ?

Dum tu horruisti clamores & contentiones,

tam sœpè audeam miser exaltare in risu vocem meam, nec attendam clamosum me esse & contentiosum & pertinacem in verbis meis :

Dum à tumultu & strepitu platearum tu longè refugis, ego delecter salutari in turbis, & primas cathedras ambiam in coetibus & primos recubitus in cœnis.

8. O quām altè loquitur silentium tuum, Domine ! quām disertè commendat humilitatem cordis ! quām consonans est verbis tuis, quibus vis ut discamus à te quia mitis es & humiliis corde !

Nec tantū in uno, sed in omnibus prudentiam prudentum reprobas, Domine, & perdis sapientiam sapientium, ut abscondita sapientiæ tuæ manifestes parvulis & humilibus.

In asperioribus Galileæ locis patriam Nazareth elegisti, & in hac nutriri & habitare voluisti, urbicula obscuriori, undè nec aliquid boni oriri posse credebat Nathanael, verus ille Israelita in cuius ore dolum abesse prædicasti.

Nec, etsi indè vile Galilæi cognomen quondam adversū te inimicos tuos deductores fore prævideris, à tam vili patria refugisti.

Sed nec ibi inter primos versari voluisti, verū cum infimis & novissimis, cum pauperibus & rusticis & idiotis qui litteraram non cognoverant, ut ipsemet qui litteras non didiceras intrares in potentias Domini.

Ita ut vicissim , sicut à verisimiliori gentis more
conjici potest , cum Pastoribus in infantia compu-
tari volueris , cum agricolis & fabris in adolescentia
& juventute , & sic semper novissimus virorum ,
non horrueris in labore hominum esse , & cum
hominibus flagellari .

9. Igitur sicut olim edocti à Joseph fratre suo ,
filii Israel in Ægyptum descendentes se ovium
Pastores ab infantia professi sunt , etsi Ægyptii
omnes ovium Pastores detestarentur , ita & tu ,
Domine , Pastorem ovium te dicere & exhibere
in terrena ista Ægypto non es dignatus , sub
magisterio novi Joseph , cui subditus esse volebas ,
ô Pastor , qui missus primùm ad oves quæ perie-
rant domūs Israel , postmodùm in ovile unum ex
omnibus populis & linguis oves eras congregaturus !

O Fili Israel , vera gloria plebis ejus , Pastor
vere ! veniet tempus tuum quando , ut visites
fratres tuos , paucas illas oves in montibus Galilee
relinques , & ascendes novus & verus David libe-
raturus castra Israel ab illo qui reprobat acies
Dei viventis , & fortior superveniens vasa omnia
domūs quam invasit à diebus Adam vendicabis ,
& judicatum Principem tenebrarum harum in
æternum alligabis .

Sed & tunc , quemadmodùm fratres David
fratrem suum minimum contempsere , cui pau-
culas oves in deserto reliquisse reprobrabant , ita

& tibi à fratribus nondùm credentibus in te dice-
tur : Transi hinc & vade : neque enim initio cre-
dent in te , qui primùm viderunt te ab infantia
velut unum ex ipsis.

10. O Pastor ab infantia , Pastor bone , ab in-
fantia congrega nos in ovile tuum ! congrega par-
vulos , & fac eos venire ad te cùm talium sit
regnum tuum !

O verè beatus qui portat jugum tuum ab in-
fantia ! & vae mihi quia detrectans miser jugum
illud sanctum in domo tua , longè à te in regionem
miseriae transivi , substantiam quam à te recepe-
ram malè dissipaturus !

Reduc , Domine , ovem perditam quæ tandiu
erravit procul à te ; reduc in viam regni Dei , &
ut illuc merear introduci , da mihi fieri sicut par-
vulus , quasi modò genitus infans , ut per merita
infantiae tuæ inter innocentes lavare possim manus
meas , qui peccator & reus extiti ab infantia.

Et fac ut de præterita pessima vita mea , hoc
bonum , per te qui solus vitam de morte , de
tenebris lucem , trahere nosti , consequi possim ut
ardentiùs & reprobare malum noverim & eligere
bonum .

11. O filii hominum ! usquequò diligetis vanita-
tem ? usquequò terrigenæ odio habebitis laboriosa
opera ?

Non modò creata fuit rusticatio ab Altissimo ,

sed & rusticationi addici voluit Altissimus.

Minuere peccati poenam illam dignatus jam fuerat Creator misericordissimus, & miro quodam sapore replere agricolarum labores per spei & innocentis delectationis, & exercitii ad valedudinem conferentis, additamentum.

Addidit & Redemptor compatentissimus, ut & nobilitaret & alleviaret & sanctificaret rusticos illos labores, qui manibus propriis vietum quæsivit & vestitum in pauculis praediis colendis, & aratoriis instrumentis conficiendis.

Etenim si praediola pauperis Joseph, illis comparemus quæ, ut fert traditio, à nepotibus Judæi fratri Domini tenebantur, Dominum Jesum cum Joseph & Maria partim in agris paucorum jugerum excolendis, partim ex aratrorum & jugorum confectione vietum sibi quæsivisse, verisimilius aestimari potest.

12. Oblati Domitiano adhuc superstites nepotes Thadæi ut Jesus propinqui & heredes regni Davidici, se pauca jugera possidere dixerunt, in quibus colendis labore proprio vitam sustentabant vesticalia pensitantes, & in laboris testimonium duritatem corporis & callum manuum ab opera assidua contractum ostenderunt.

At nunquid te quoque, Domine Jesu, hanc prætulisse duritiem corporis conjici potest, durè à cunabulis in agrorum cultura & fabrilibus ope-

ribus educatum? nunquid ideò scandalizabantur in te videntes virtutem operum tuorum Nazareni concives tui dicentes: Undè huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi & virtutes? & nunquid hic est filius Joseph, & mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Simon, & Judas, & Jacobus & Joseph, & sorores ejus hìc apud nos sunt?

Quasi dicerent: Nunquid ille filius Joseph paris est conditionis & sortis cum filiis Alphæi, & ut ille sine litteris, & de numero agricolarum & rusticorum, pauperiorum?

Verum horum scandalô videtur *responsum ante dedisse Propheta*, apud quem hoc quasi in persona Domini legitur: Homo agricola ego sum, Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

13. Et ita mirabiliter factum fuisse videtur, ut sicut vetus Adam primus agricola in sudore vultûs sui inter spinas & tribulos terram cœpit excolere, ita & secundus Adam terram maledictam in opere hominis exercere non sit dignatus, jam in benedictionibus seminans novus homo, non sibi, sed nobis, ut de benedictionibus ejus meteremus fructum centuplum per sanctificationem laboris; utque qui antea fuerant pœna peccati labor & sudor, post exemplum Jesu amor & gloria fierent Christiani.

Sed & callum manuum ab assiduitate laboris & passum fuisse & sanctificare voluisse Dominum

Jesum, æquè verisimiliter æstimari potest.

Et sic in illius abscondita vita adimpletum, quod alibi de illo legi videtur apud Prophetam dicentem: Plagis manuum plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

Quæ enim domus diligentium te, Domine Jesu, dum latebas, dum in medio Israelitarum stans nesciebaris ab eis, præter domum Joseph?

Et quos invenimus qui diligerent te per lustra sex illius absconditæ vitæ tuæ præter Joseph & Mariam, qui te duodennem factum tam dolenter triduo perditum quæsiverunt, tam lætanter in his quæ patris tui erant invenerunt, tam amanter reduxerunt puerum suum, qui erat unica spes, sola fides & amor ipsorum?

14. Igitur & apud diligentibus te plagiis manuum plagatus es in corporeis quotidianis laboribus, in callis manuum acerbis & duris, qui apud odientes te plagandus eras plagiis profundioribus, non tantum manuum, sed & pedum & lateris sancti tui, semper & ubique manifestans charitatis superabundantiam quâ prior dilexisti nos.

Verum in hoc amplius apparuit humanitas & benignitas tua, Domine, quod & fabri filius dictus & faber, ipsem & jugorum ligneorum confector fieri volueris, qui animabus nostris jugum suavisimum veneras impositurus, ut dum vocas nos ad tollendum jugum tuum, quod confecerunt manus

tuæ, de suavitate illius dubitare nefas sit, cùm sit opus Christi Jesu, opus specialiter uncti Salvatoris ad evangelizandum pauperibus, & sanandos contritos corde.

15. O felix traditio quæ apud Sanctum Justinum invenitur, per quam novimus Jesum qui faber apud Sanctum Marcum dicitur, qui & ad suscipiendum jugum suum vocat nos apud Sanctum Matthæum, ipsummet dum absconditus viveret juga & aratra confecisse!

O quām suave jugum quod paravit per lustra sex tam pius artifex! quām leve onus capiti nostro, quod tam eruditæ manus levigaverunt tanto tempore!

Quis refugiat à jugo, Domine, quod sanctæ manus tuæ fabricaverunt? quod in diebus silentii tui tam laboriosè sculpsisti, ut per illud à jugo peccati & mortis eximeres nos? quod unxisti oleo lætitiae, quo unctus es præ consortibus tuis? quod & prior experiri & probare dignatus es?

16. O Domine! liceat mihi in atrio & dormicula illa accedere ad te, ut videam te & contempler laborantem & insudantem, panem manducantem partum in sudore vultus tui, & in opera assidua & quotidiana, inspicere victus paupertatem, vestitus negligentiam, strati humilitatem, parietum nuditatem:

Videre te ab humilioribus laboribus non refu-

gientem, servorum & glebæ addictorum Gabao-
nitarum opera sustinentem, ligna scindentem &
aquas comportantem, die noctuque æstu adustum
& gelu, ut olim Jacob, non sibi sed ingratis Adæ
postoris opes quærentem in vigiliis & curis multis:

Per diem laborantem & postmodùm pernoctan-
tem in oratione Dei, sæpè anticipantem vigilias
postquam per noctes stratum rigaveras lacrymis,
sine intermissione orantem, aliquando psallentem,
post cibum hymnos personantem, ut & posteà
cum Discipulis suis morem servasse legimus:

Quotidiè ministrantem, raro ministratum, modò
flagrantem baptizari baptismō quo baptizandus
eras, & calicem bibere usque ad fæcem, paratum
in manu Dei Patris, plenum mixto; modò zelo
zelantem intra te, & in lacrymis coarctantem te
donec veniret hora tua.

17. Liceat videre addentem sæpè orationi je-
junium, sæpè usque ad fatigationem laborantem
manibus suis, semper mitem, semper mansue-
tum, nunquam tristem & turbulentum, ut ait
Propheta, etiam in medio filiorum matris suæ
Synagogæ pugnantium contra te quem nesciebant:

Semper pacificum, etiam cum his qui oderant
pacem, semper crescentem sapientiâ, semper pro-
ficientem gratiâ apud Deum & homines.

Liceat contemplari te incolam in terra Cedar,
ubi incolatus tuus prolongatus est; videre advenam

& peregrinum & colonum inopem terræ Palesti-
norum , verum Filium promissionum , Filium
Abraham quondam coloni ejusdem terræ opulen-
tissimi , & cui dictum fuerat : Tibi dabo terram
hanc.

Liceat contemplari qui semini Abraham dixit ,
& cui soli in veritate competit dicere , *Terra mea
est, vos advenæ & coloni mei* , nunc factum exulem
& peregrinum in terra illa , ut ad veram promis-
sionis terram , patriam primigenam filiorum Dei
reduceret expulsos à paradiſo & per peccatum ad-
dictos morti .

18. Liceat contemplari oculis mentis Regem
meum , exemplar meum , Dominum meum , ex-
tunc abnegantem se met ipsum & bajulantem quo-
tidiè crucem suam , bajulantem in corde , baju-
lantem in opere & labore & submissione :

Ut discam cum Christo abscondito absconditus
vivere , si cum illo regnum accipiente velim par-
tem habere ; cum illo nunc latere , ut cum illo
tunc possim fulgere ; cum illo in terra lugere , ut
possim congaudere venienti in regno suo , & me-
reari intrare in gaudium Domini mei :

Cum illo silere & nesciri , si cum illo velim
apparere in gloria , quando veniet judicium facere :

Cum illo laborare , si cum illo velim requiescere .

19. O Domine ! fac me simplici corde quærere
habitaculum sanctum tuum ubi latet in terris visus

Salvator mens: jam enim, an venerit qui mittendus prænunciatus est, cùm ablatum sit sceptrum regiminis à Juda & ad alienigenam translatum, dubitare nefas est.

Jam à decreto ut rursùm ædificetur Jerusalem completæ sunt hebomades, jam expectatum à gentibus stella natum Magis indicavit, jam venit per quem delenda iniquitas & adducenda justitia sempiterna.

Ubi ergo est qui venit educturus vincetos de domo carceris, & de conclusione sedentes in tenebris?

Vix auditus est in Ephrata vagitus nascentis pueruli, & ecce à tyranno paratur exterminium: necantur pueri omnes in Bethlehem & in omnibus finibus ejus à bimatu & infrà.

Sed frustrà sœvit impietas; vivit Jesus, & de Ægypto redux, longè à Jerusalem in foramine petræ crevit & confortatus est puer, factusque est adolescens & juvenis.

Ubi inveniam Salvatorem meum, Jesum verum, qui venit salvum facere populum suum à peccatis eorum, imò qui venit & vocare ad poenitentiam & salvos facere peccatores quorum primus ego sum?

20. Ostende te mihi, ô piissime Salvator! ostende te animæ peccatrici, cui etsi immundissimæ factæ & pessimæ, per incomprehensibilem chari-

tatem tuam non est nefas diligere te , imò cui gradus remissionis indulgere dignaris juxta sanctæ hujus dilectionis ascensiones quam imperas & infundis.

Ostende mihi , misericordissime Domine , faciem tuam : indica mihi ubi pascas , ubi cubes in meridie , qui nec statum vel nomen Pastoris assumere es designatus .

Jam enim advenit meridies vitæ tuæ , & transiit plusquam meridies meæ ; nec , heu ! inveni te .

Ostende te mihi , Domine , ne abscondas faciem tuam à me , ut videam te antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine .

Et ut dimittar in pace , ne dimittas servum tuum priusquam viderit salutare tum paratum ad revelationem gentium & salutem peccatorum .

21. Ecce quod facere intendo , desiderium meum , Domine , tibi sit acceptabile :

Mente & corde ad vocem Angeli stabo qui missus est ante te , & digito præsignantem Agnum Dei inspiciam ; & ponè sequens vestigia tua , audero dicere Domino meo , cum Andraea & alio illo felici Discipulo : Magister , ubi habitas ?

Siquidem qui sedet super Cherubim & ambulat super pennas ventorum , ante quem spiritus grandis & fortis , subvertens montes & conterens petras , sicut & Eliæ monstratum est ; jam non in spiritu Dominus :

Et cujus in conspectu quondam movebuntur
fundamenta terræ , & ante quem cœli recedent ;
jam non in commotione Dominus :

Et qui descenderat olim in igne super Sinaï,
ante quem montes velut cera fluere visæ sunt , qui
& ipse ignis consumens est ; jam non in igne Do-
minus :

Sed sicut & Prophetæ visus est in sibilo auræ
tenuis , ita & Discipulis Joannis apparuit , quibus
in sibilo placidissimo & suavissimo respondit Do-
minus Jesus : Venite & videte.

22. O felix aura quæ duxit primos Discipulos
Domini in domum Domini ! ô dulcis sibilus , post
quem lætantes in his quæ dicta fuerant ipsis , ibant
in domum Domini , & in habitaculum ejus intro-
ducti sunt !

Verè lenissimus sibilus , à quo nec conteritur
calamus quassata , ut ait Propheta , sed erigitur ;
nec linum fumigans extinguitur , sed accenditur .

Venite & videte : ô mirum dignationis verbum ,
verbum fratris & æqualis , verbum amantissimum
& spei plenum !

Pro omni misero , quæso , Domine , illud
liceat accipere & rapere de ore sancto tuo , & ita
ad te venire , & in domum tuam confidenter in-
troire , qui sic desideranter sequentes post te , ut
æquales & fratres suscipere dignatus es .

Veniam & videbo , & procidens ad pedes tuos ,

Fogabo te , ut egressum de medio ignis Babylonis perversæ , elongantem me , fugientem , & quærentem tecum solo vivere & vivere tibi soli , abscondas me à contradictione linguarum in abscondito faciei tuæ : sufficit mihi , Domine , videre te , audire te , contemplari te .

23. At hoc unum insuper deprecabor te , ut dum faciem tuam solam requiro & intendo , imponere digneris humeris meis sacratissimum jugum tuum , jugum quod confecerunt amantissimæ manus tuæ , jugum quod laborantibus & oneratis tam indulgenter offerre dignaris dum dicis : *Venite ad me , omnes qui laboratis & onerati estis , & ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos.*

Ipsum mihi sit , ô misericordissime Magister & Domine ! pro mutatoria veste ; sit post naufragium poenitentis animæ meæ refugium sicut & innocentis animæ est tutamentum :

Sit mihi peccatori ad Patrem tam tardè revertenti pro piaculo servi tibi in æternum addicti , quod pro signaculo filiorum cum annulo & stola prima habere prorsùs indignus sum :

Sit vexillum meum in vita , sub quo regere semper digneris & perficere gressus meos in semitis tuis , ut non moveantur vestigia mea :

Sit vexillum in morte , in quo confidens ultima inimici tela repellere valeam , victorque evadere in signo Domini mei :

Sit gloria mea in temporeanea humiliatione & confusione, spes mea in tribulatione, lux mea in tenebris & caligine :

24. Sit in contradictionibus & angustiis solatum, in tentatione & probatione refugium, gaudium in tristitia & anxietate :

In dolore & infirmitate levamen, in perturbatione & timore securitas, inter flagella linguarum detrahentium & malignantium pax mea, die nocturne meditatio mea :

In peregrinatione vitæ & valle ista miseriæ gloria & soleæ deliciæ meæ, in consummatione sanctificatio & exultatio mea :

Demùm quod fuit in via, ô Domine ! cordi amore tuo confixo temporaneus cumulus suavitatis in tempore, supra modum in secula quondam indessam felicitatem & immarcescibilem beatitudinem operetur in me, jam per amplissimam propitiacionem tuam sub beatissimo jugo, & indissolubilibus vinculis æternæ dilectionis constituto. Amen.



CAPUT II.

Una lex unius : hanc unam petii
à Domino, hanc requiram.

1. **N**ON diligamus verbo neque linguâ, cum iis qui dilexerunt Deum in ore suo, & linguâ suâ

mentiti sunt ei ; sed diligamus Dominum opere & veritate.

Sic dilexerunt servi Dei sub utroque testamento ; una enim lex est unius ; unus Deus ex quo omnia , & in quo omnia ; unam legem homini statuit in qua omnia , & ex qua omnia .

Qui diligit Deum sermonem ejus servat.

Hujus veræ dilectionis exempla , non modo in novissimis temporibus , sed & sub lege naturæ & sub lege Moysis , mundo dignatus est exhibere misericors Deus , omni tempore , ab initio seculorum usque ad consummationem illorum , in Ecclesia sua servans sibi veros cultores .

2. Sic dilexit , sic obtemperavit ille cuius nativitatem , Patris legitur solatum fuisse ab operibus & laboribus manuum suarum in terra cui maledixerat Dominus :

Qui à filiabus hominum non sivit perverti sensum suum , cùm terra repleretur iniquitate , & multi ex filiis Dei per pulchras mulieres quas elegerant , in abyssum lasciviæ filiorum hominum invehentur :

Qui , cùm carneæ abominationes & scelera spiritum Dei abalienavissent ab homine , cùmque Deus dolore cordis tactus intrinsecus , hominem quem creaverat delere statuisset à facie terræ , inventit gratiam coram Domino :

Qui , cùm multa malitia hominum effunderetur

in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, cum Deo ambulavit fidelis & constans:

Qui inventus est justus & perfectus in viis suis, & per quem placatus est Dominus in tempore iracundiæ, ita ut dimitteretur reliquum terræ, & apud ipsum testamenta seculi ponerentur.

3. Fidelis verbo Dei arcam fabricavit, arcani ingressus est, sciens quia iniquitas orbis terræ mox finem dabit ei:

Credidit & obtemperavit, etsi multi ex filiis Dei expectarent in diebus ejus patientiam Dei:

Credidit & ambulans in mandato, Domini iussionibus paruit, etsi cæteri tunc essent increduli, etsi tunc cæteri essent securi & quieti, vendentes & ementes, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, nec ulla tenus ultionis diem attendentes.

Felix qui credidit propter quod loquitur! felicior qui credit propter quod operatur in dilectione & observatione mandatorum Dei!

Nec enim sufficit habere mandata, sed qui habet mandata mea & servat ea, ille est, ait Dominus, qui diligit me.

4. Verè dilexit qui inventus est in tentatione fidelis, obediens in probatione quæ suprà probationem omnem hominis est:

Qui immolare jussus unigenitum suum, sibi

centenario natum & ab annis multis expectatum,
quem plus multò quām semetipsum diligebat senex
optimus pater, non hæsitavit; sed de nocte con-
surgens venit in montem præmonstratum, & ibi
alligatum filium posuit super struem lignorum,
arripiensque gladium & extendens manum vitam
charissimi filii postposuit mandato Dei:

Hic verè dilexit ex toto corde, qui quidquid
diligebat in terra, illi quem super omnia diligebat
in coelo immolare non dubitavit:

Qui tentatus in illo quem diligebat supra se,
supra modum & quodammodo ultra potentias
paterni cordis, ex misericordia ejus qui ipsum
tentabat & probabat, Deum diligere inventus est.

Verè timuit Deum, qui sic non pepercit propter
Deum unigenito Filio suo:

Verè dilexit qui se, & quem diligebat plusquām
se, morti tradere non est cunctatus:

Verè non est inventus similis illi, qui legem
Excelsi in tali discrimine conservaret.

O felix homo, qui non tantum in hoc pater
credentium omnium meruit fieri, sed & imago
Dei factus est! qui sic supra omnem modum dili-
gens nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis
omnibus tradidit illum!

5. Dilexit & ille qui ambulavit cum Deo, &
translatus est ne videret mortem, cuius fidem
laudat Apostolus credentis toto corde in Deum,

& inquirentis in eum ut remuneratorem suum:

Qui testimonium habet placuisse Deo & reservatum fuisse, ut det gentibus pœnitentiam.

Placens Deo per dilectionem, factus est & ipse dilectus; & vivens inter peccatores raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius.

Placita fuit Deo anima ejus; ideò properavit educere illum de medio iniquitatum, ne fascinatio nugacitatis bona obscuraret in illo, & inconstantia concupiscentiae transverteret sensum sine malitia.

Consummatus in brevi explevit tempora multa; senectus ejus non diuturna venerabilis fuit, nec annorum numero computata est.

Sperans in Domino, inquirens incessanter in eum, placens & dilectus vixit in dilectione ambulavitque cum Deo; & sapientiae lumine quæ primum hominem eduxit à delicto suo illuminatus, vitam sanctam degere non cessavit donec non apparuit inter terrigenas.

6. Dilexit & ille vir de terra Hus, simplex & rectus, recedens à malo & timens Deum timore illo Abraham qui erat in dilectione propter quem dixerat illi Dominus: Nunc cognosco quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me:

Dilexit qui anteā vir magnus inter orientales, nudus factus in una die, corruit in terram adorans

& benedicens Deum, ac mala de manu ejus pari fuscipiens animo quo suscepserat bona.

Qui tētā saniem radens & sedens in sterquilinio, profitebatur se in Deum, etiamsi occideret eum fore speraturum:

Qui cunctis diebus expectabat immutationem suam apud Dominum misericordissimum, & qui hunc sperabat tandem operi manuum suarum dextera fore porrecturum:

Qui paratus ad mortem, spem firmam resurrectionis in sinu suo repositam habuit, & in hac spe à dilectione Dei ipsum conterentis non defecit, certus se visurum redemptorem justum Deum vel in novissimo die justificantem innocentiam & rectitudinem cordis sui:

Qui, dum probaretur, velut aurum quod per ignem transit, non est locutus velut unus de stultis & incredulis; verū professus est timorem Domini solum, ipsum esse veram sapientiam & recedere à malo intelligentiam.

7. Dilexerunt illi omnes sancti viri qui Deo servierunt in timore & rectitudine & simplicitate, & ex toto corde adhæserunt illi in spe.

Et tamen, cùm ante legem essent, ipsi sibi erant lex, & in semetipsis legebant, quia factorem suum diligere ex toto corde, hoc est primum & unum & summum debitum.

Hoc opus legis scriptum in cordibus digito Plas-

matoris indelebilibus typis, in Ecclesia Dei primos constituit cultores & adoratores.

8. Sed hoc idem olim Deus loquens patribus constituit summum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua & in tota mente tua.

In hoc mandato ambulaverunt, qui sub lege vixerunt beati viri in timore Dei, in mandatis ejus cupientes nimis, & qui justi, ante Deum incedisse dicuntur in omnibus mandatis & justificationibus Domini.

Crediderunt & timuerunt, sed fide & timore sancto & beato filiorum Dei, ambulantes in mandato dilectionis.

Est enim aliis tremendus timor in horrore coactionis, in quo credunt & contremiscunt Angeli tenebrarum, & in quo tandem credent & contremiscent cum eis filii tenebrarum & mortis.

9. Dilexerunt ex toto corde Prophetæ sancti, qui dati à Deo in portentum domui Israel, chariora quæque & semetipsos devoverunt in exequendis jussis ejus:

Qui zelo zelati sunt pro Domino Deo exercitum, & stare contra Reges & Principes pro lege Dei non timuerunt:

Qui ludibria & verbera experti sunt, vincula & carceres passi sunt, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt:

Qui

Qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afficti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis & in cavernis terræ:

Qui sic tentati & probati non defecerunt, dilexerunt verè; dilexerunt facto & opere, non voluntate solum & cordis affectu, sed & laboris effectu & patientiæ fructu.

10. Dilexit verè qui grandis factus negavit se filium filiæ Pharaonis, & magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem:

Qui aspiciens in remunerationem, plenus fide & spe, improprium Christi aestimavit majores divitias thesauris Ægypti:

Qui mitissimus hominum fuit in medio populi quotidie exasperantis:

Qui in medio eorum qui diligebant Deum in ore, & lingua suâ mentiebantur ei, verè diligens corde, toties stetit in confractione, ut obsecrationibus suis averteret iram Domini, ne disperderet eos.

Verè dilexit Deum, qui ita populum Dei portavit in corde, ut pro illo anathema esse paratus fuerit, obsecrans Deum, & dicens: Aut dimitte eis idolatriæ noxam illam nefandam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

Verè dilexit qui inquirens semper Dominum;

semper quærens faciem ejus, rogavit in hoc invenire gratiam in conspectu ejus, ut oculis suis ostenderet faciem, qui & exauditus est in quo exaudiri potuit desiderium suum in homine adhuc vivente super terram.

11. Sed & mulier cum adolescente filio & cæteris natis suis invenitur quæ ita dilexit, ut legi Dei ultra semineas fidelis & humanas vires, in medio tormentorum hortaretur filios voce patriâ fortiter:

Quæ repleta sapientiâ & supra modum mirabilis, pereuntes in ollis & fartaginibus filios septem unâ die conspiciens bono animo tulit:

Et quæ spem illorum confortans, obsecrabat fideles in testamento illius mori per quem formati fuerant in utero suo, & à quo non ab ipsa suscepserant & esse & vivere; qui quondam & spiritum & vitam meliorem esset cum misericordia redditurus, si pro lege ejus viriliter corpus & vitam miseram tradere non cunctarentur.

13. Ab Adamo ergo à pœnitentiæ lege ipsi & posteris ejus indicta, & sub lege naturæ & sub lege Moysis servos sibi reliquit Deus fideles in mandato summo & primo; sed inter multos vocatos pauci semper videntur electi.

In medio Pentapoleos undè clamor scelerum ascendit ad Deum, & ubi aggravatum erat peccatum eorum nimis, inventus est vel unus propter

quem misericors Deus urbem unam non subvertit.

Sub Achab , dum gemebat Propheta relictum se solum Domini cultorem in Israel , numerabat sibi Deus , etiam in medio tribuum ab alienatarum , septem millia virorum quorum genua non fuerant incurvata ante Baal .

13. At si dum à longè expectabantur promissio-nes , dum in fide exultabant sancti viri ut viderent desideratum gentibus , dum loquebatur Dominus per Prophetas inventi sunt qui per illa secula diligenter opere & veritate .

Quomodo sanctum mandatum jam poterit homo detrectare , postquam locutus est nobis Deus in Filio ?

Postquam jam non habet in spe liberatorem expectare qui conterat serpentem antiquum & regnum ejus , sed in carne carnis oculis vidit Redemptorem hunc tam multipliciter præsignatum evangelizantem regnum Dei ?

Postquam jam novit mysterium temporibus æternis tacitum , quia sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ?

14. Postquam non jam ut olim quotannis per sanguinem hircorum & vitulorum , & per Pontificem habentem deprecari pro peccatis suis , mundantur peccata nostra , sed per proprium sanguinem verus & æternus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Jesus Dominus æternam nobis redemptionem invenit ?

Postquam factus pro nobis maledictum Filius
Dei factus in formam servi, super se tulit chiro-
graphum peccatorum nostrorum & in innocentie
carne sua affixit patibulo crucis?

Postquam superans & illam charitatem majo-
rem ut animam suam ponat quis pro amicis suis,
exhibuit maximam illam attingens à fine ad finem
fortiter, & mortuus est pro nobis dum adhuc
inimici essemus, ut reconciliaret nos Patri?

15. O Domine Jesu, qui sic dilexisti nos &
lavisti in sanguine tuo, qui in illo charitatis igne
quem venisti mittere super terram temetipsum
obtulisti veram expiationis victimam simul &
summum holocaustum Deo, voca me miserum
ad altare sanctum istud lacrymis, sudore & san-
guine tuo respersum!

Voca & vel scintillam ignis illius immensi in-
fundere digneris cordi meo, qui non vis nisi ut
accendatur in omnium cordibus ignis tuus.

Nutriatur quæso quotidiè à te scintilla illa,
Domine Jesu, qui verus Sacerdos es idem &
victima; & sicut nunquam deficiet in altari ignis
ille perpetuus quem tu portasti super terram, sic
in me scintilla illa charitatis in incendium crescat
omnium affectionum & intentionum & desiderio-
rum meorum, usque ad consumptionem animæ
& spiritus.

16. Fac ut regeneretur ex Spiritu sancto tuo

spiritus meus; fac ut resurgat anima nova baptizata in igne tuo, qui non baptizas in aqua tantum, sed in Spiritu sancto & igni, & qui solus potes dare cor novum & effundere spiritum novum.

Tu, Domine, qui olim scripsisti legem hanc digito tuo in tabulis lapideis, idem es qui prædixisti feliciora tempora gratiæ per Prophetas tuos, in quibus non jam in lapide sed in corde dares legem illam sanctam.

Infunde ergo, Domine, in præcordiis meis beatum mandatum tuum, & fac ut dulcius sit animæ meæ super mel & savum, pretiosius super aurum & topazion, qui nasci voluisti servum tuum in seculis gratiæ & in sinu Ecclesiæ sanctæ tuæ.

17. Tu es, Domine, qui olim dixisti ut scriberetur lex illa sancta in limine & in ostiis domorum, & prædixisti quia quondam superscriberetur in mente, da ut ita superscribatur in me, da ut insigatur & in tabulis cordis carnalibus, & in tabulis mentis.

Fac ut verba sancta hæc sint ligata quasi signum in manu mea & moveantur inter oculos meos: fac me meditari in eis ut præcepisti, sedens in domo, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

Fac ut legem tuam meditatus cum Propheta in meditatione illa exardescat ignis, ut tandiù coa-

gulatum cor meum vel demum liquefat, tandiū
japideum transmutetur in carneum, tandiū aridum
reflorescat.

18. Fac ut nec unquam nec usquam oblitus
comedere panem meum, per singulos dies in spi-
ritu parvolorum postulem à te ut frangere mihi
digneris deficienti in via panem hunc quotidiana-
num, panem supersubstantialem, & semper di-
cam cum audientibus olim verba sancta tua, verba
æternæ vitæ: Semper, Domine, semper da nobis
panem hunc.

Da ori meo virtutem narrandi verba tua fratri-
bus meis filiis Ecclesiæ sanctæ tuæ, ut delectati in
lætitia accurrant & adsint in circuitu mensæ tuæ,
sicut novellæ nunquam deficientes olivarum, &
à generatione in generationem transmittatur &
custodiatur præceptum sanctum tuum.

Tu, Domine, qui veniens non solvere, sed
adimplere legem, ore sancte tuo evangelizare dignatus es mandatum illud primum & magnum velut
omnium apicem, cæterorum mandatorum fontem,
& plenitudinem legis, doce me viam illam veri-
tatis & justitiae in qua sola redundunt verè quæ
sunt Dei, Deo, & quæ sunt proximi, proximo.

19. Qui sic justitiam dispensationis in Deum &
hominem imaginem Dei monstravit, ipse justitia
est:

— Qui sic charitatem ordinavit, ipse charitas est:

Accedam ergo ad fontem justitiae veritatis & charitatis, qui & ipse Jesus est, Jesus meus, Salvator meus, & hauriam in gaudio de fontibus Salvatoris.

Ipse qui jam ante dixeras per Prophetam, Omnes sientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite; venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac, ipse es qui ore sancto tuo aperte dicere dignatus es: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

20. Sine igitur, Domine Jesu, evangelizator pauperum, sine pauperem me & mendicum ad te venire, ut emam & bibam; & vini amoris tui dulcedine prægustata, amarescat mihi omnis amor qui non procedit à te & intendit in te, omnis fapor cuius initium non est in te, vel qui deduceret me extra te, omne gaudium quod non oritur à te, & quod non fovet ignis sanctus tuus, solus verè beans & lætificans corda.

Sitque per dies & noctes in hoc exilio meo amor sanctus tuus omnis delectatio mea, exultatio mea, jucunditas mea, felicitas mea, & solæ & perennes deliciæ cordis mei & mentis meæ.

Superabundet in me magis ac magis amor ille sanctus, & foras mittat timorem omnem præter illum sanctum & castum amittere te, recedere à te, & relinquiri à te.

Omnem tristitiam evacuet præter perennem illam offendisse te, longè vixisse à te, & tuī oblitum fuisse.

Solus compleat & complectatur omnem timorem & omnem amorem meum, omne gaudium & omnem tristitiam meam: sit demùm ita intimè infusus & ardens: ita regnet per omnes & singulos sensus intimos meos, ita configat exteris, ut penitus mors in me absorbeatur à vita & in tempore & in æternitate. Amen.

CAPUT III.

Summa sapientia scire Iesum Christum
& hunc crucifixum.

I. **O** QUAM pauci sapientes sapiunt verè! quam pauci qui sapiant ea quæ Dei sunt, dum tot videre est qui sapiunt ea quæ hominum!

Quam pauci gustant verbum hoc abbreviatum sapientiae summæ! Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam! Beati eritis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes! Et alibi: Quia de mundo non estis, sed elegi vos de mundo, odit vos mundus....

Id Petrum didicisse in schola philosophiæ veræ perspicuè conspicimus.

Qui etenim antequam baptizaretur in Spiritu sancto & igni, sentiens ea quae mundi erant, opprobria & crucem aliena reputaverat a Domino suo, aversa a Christo Filio Dei, baptizatus & mutatus in virum alium, non jam in fermento veteri, sed in azymis veritatis docet nos, in hoc vocatos nos esse quicumque Christi sumus, ut patiamur tristitias, & ut etiam benefacientes colaphizemur, & in nomine Christi exprobremur.

At quām pauci cum Petro de carne ad spiritum,
de judiciis mundi ad judicium Dei valent transire,
& cum ipso illuminati sentire quod oporteat gaudere,
si communicemus Christi passionibus, quia
tunc beati verè sumus, & quoniam tunc quod est
honoris gloriæ & virtutis Dei, & qui est ejus
Spiritus requiescit in nobis !

Quam pauci inter hujus ævi Christianos hoc
meditantur & credunt quia in hoc vocati sunt ut
compatiantur & commoriantur postquam Christus
passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum
ut sequamur vestigia ejus!

2. Multi sunt planè qui cum matre filiorum
Zebedæi dexteram & sinistram regnantis ambiunt
in honoribus & opibus vitæ præsentis:

Pauci qui velint bibere cum sanctis filiis ejus calicem Christi, & baptismo baptizari quo baptizatus est:

Multi sunt etiam inter spirituales, qui gaudia & H. 5
sustentant aetere gaudia Deo.

lucem vitæ contemplativæ affectantes, supra montem beneplacitum seorsum à tribulatione tabernacula cum Christo in splendore & requie figere concupiscunt:

Pauci qui in derisione & cruciatu Calvariae stare velint juxta crucem sanguinolentam ejus:

Attamen sicut unum illud est sacrificium in quo summè honorificatur Deus, ita & summus honor hominis est per cruces & humiliationes hujus sacrificii participem fieri.

3. Indigebat mundus reformatore qui hominem doceret & orationis mundæ & sacrificii acceptabilis ritum sanctum & Deo dignum, idque subodorati olim fuerant Philosophi sapientiores, dum ubiqùe diffusas & grassantes, Dei cultûs & religionis obtenu, superstitiones & fœditates inspicerent.

Rationis purissimæ purissimum dictum, & optimum excogitatum illud, notum in gentibus adimpletum fuit; & invisibilia Dei quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicerat homo in lumine rationis, per misericordiam Dei in abundantiori luce visibilia facta sunt in adventu Mediatoris & Redemptoris.

Ipse docuit nos & orare & sacrificare: orare ut glorificetur Deus, ut adveniat regnum ejus, ut fiat voluntas ejus: & ut hæc tria sicut in cœlo ita & apud terrigenas fierent: summa planè & divina oratio, sola verè digna Deo.

4. Docuit nos & sacrificare , dum ipsius Redemptoris veræ & solius victimæ novi Testamenti in sacrificio summo & solo digno Dei , docuit nos participes fieri per abnegationem & crucis bajulationem & exemplaris imitationem quod ipse vivens & moriens ostendit nobis.

Perfectum hoc sacrificium simul est expiationis & laudis , ut hujus participes facti & lavemur in sanguine ejus , & Deum summè glorificemus.

Hoc sacrificium unum est , cuius memoria juxta mandatum Domini ad finem usque seculorum ab ortu solis ad occasum celebratur , nec jam ut olim in Judæa solum sub typis & umbra futurorum ; sed in gentibus ubique terrarum verè & realiter , apud quas nomen ejus magnum est , ait Prophetæ , apud quas in omni loco sacrificatur verus Agnus qui tollit peccatum mundi , & offertur nomini Dei oblatio munda.

Et jam advenit tempus ubi exeuntes aquæ vivæ de Jerusalem , medium earum ad mare orientale & medium earum ad mare novissimum fluere visæ sunt , irrigantes universam terram :

Jam apparuit dies illa in qua juxta Prophetam factus est Dominus Rex super omnem terram , & de qua ait idem Prophetæ quia in illa erit Dominus unus & nomen ejus unum :

5. Sed nec in regnum Regis illius cum ipso ingredi fas est nisi per tribulationes & cruces , nec

in hac oblatione munda Agni immaculati partem habere nisi per imitationem & crucifixionem.

Si enim compatimur & conregnabimus, & si commorimur & convivemus: & ideò Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus.

Sequamur autem injusta & immerita patientes: Quæ enim est gloria, inquit Sanctus Petrus jam factus Discipulus crucis, in qua cum Magistro gloriosè est consummandus, quæ gloria si peccantes & colaphizati sufferimus? Sed si benefacientes patienter opprobria & crucem sustinemus, hæc est gratia apud Deum.

6. Sic passus est Dominus & Magister: sic passus est is qui peccatum non fecit, nec in ore ejus dolus inventus est, quando cum sceleratis reputatus est, damnatus est, crucifixus est: qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, sed tradidit se judicanti se injustè.

In hoc manifestans se summè & verè justum; quod per justitiam suam super injusticias persecutorum superabundans pro ipsis oraverit persecutoribus; quod ipsa vulnera à manibus & Judæorum & Gentilium impressa, ipsam mortem & summationem sacrificii sui sancti pro iisdem Judæis & Gentilibus crucifigentibus & imprecantibus ardenter obtulerit.

7. Hoc est ultimum & summum justitiæ fasti-

gium apud homines, & nihil ultrà concipit humana mens sanctius, perfectius & mirabilius quam si terrena spolia omnia honorum, consolationum, utilitatum, ita justitiae immolet justus, ut his omnibus abrenunciet pro justitia.

Et justitia amictus velut sindone nudus ab omnibus in justitia perseveret, etsi interrogetur tormentis, flagellis & clavis dilanietur, morti & ignominiae deputetur injustus & scelestus injuste & scelestè reputatus.

Hunc justitiae supremum apicem Philosophi conspexerunt, sed à longè, disserentes multum de justitia, nunquam ad veram justitiam pervenientes.

Rem hanc verè mirandam frustrà apud illos quærere conaremur, etsi nomen & definitionem illam justi perfecti apud illos inveniamus.

8. Sed ut & Philosophis & Sapientibus seculi innotesceret vera Dei justitia in Christo, hanc juvante rationis lumine ab ipsis præscriptam & definitam in Christo solo invenimus, dum illum & secundum carnem tantum novimus.

Hoc unum exemplar justi in justitia suprà dicto illo mirabili modo consummati reperire fas est, etsi sacra & prophana scripta omnia perscrutemur.

Et ita terrenæ sapientiæ lingua consitens gloriæ Domini Jesu hunc solum verum justum designasse & definivisse reperitur, quem etsi superba contempserit postmodum sapientium illorum nume-

rosior posteritas , selectos tamen Philosophos quosdam invenimus agnovisse , quos & his quæ vel ab Apostolis vel ab illorum Discipulis de justo illo æternæ justitiae fonte dicebantur legimus adhæsisse .

9. Accedamus ergo cum pauculis istis vel in lumine terrenæ hujus sapientiæ ad pedes justi hujus : ibi mox illuminabimur in luce verborum ejus & operum : ibi in luce signorum quæ nemo aliis fecit justum hunc à Deo esse cum Nicodemo confitebimur .

Tuncque si corde puro & mente sincera scrutemur scripturas cum omni aviditate fuscipiems verbum bonum , nuncium optimum , evangelium regni Dei .

Et Jesum à gente reprobatum , à mundo spretum & illusum , à Deo autem præelectum agnoscemus promissum terræ Salvatorem , iniquitatis destrutorem , prædictum adductorem justitiae sempiternæ , occidendum à populo suo propter hoc ad tempus abscisso ab Ecclesia Dei : verum Emmantielem Deum & hominem ea invisibiliter sanantem animas potestate quâ visibiliter sanabat & corpora , sapientiam Dei æternam in terris visam & cum hominibus conversatam .

10. O Domine Jesu ! ô vera & summa , & æterna sapientia , cui concordantes testimonium perhibent & fides & ratio ! quem & traditio Pa-

triarcharum & scripta Prophetarum mediatorem demonstrant utriusque Testamenti, & quem fides & traditio Ecclesiæ tuæ sanctæ Catholice Apostolicæ & Romanæ confitentur! à vanis inquisitionibus averte curiosas & leves mentes nostras :

1. In medio fluctuantis seculi spiritus vadentes & non redeuntes coerce in sagena Apostolica :

2. In navicula Petri quam elegisti ut de illa doceres nos, salva nos à fermento doctrinæ tenebricosæ, quæ nititur destruere quæcumque stabilita, infestare quæcumque sancta, commaculare quæcumque pura, per Filium tuum dilectum & Ecclesiam sanctam ejus tradidisti filiis tuis.

3. In rationabili obsequio corroborata imbecillitatem nostram, ne deficiamus in vanitate, & simus semper discentes, & nunquam ad veritatem pervenientes :

4. Ne auferas in ira tua modicum lumen quod est in nobis, nequando fiat nox in mentibus nostris ex desiderio cordis commaculati, lucem odientis & fugientis, conscientiam quærentis extinguere, testem & ultorem abominationum suarum negare, & impiè in latebris nequitiae & flagitorum audientis appetere ut non sit Deus, vel sit juxta pravitatem suam surdus & non requirens; & casset esse qui est, & non potest non esse sanctus & justus.

5. Exurge, Domine, & vide quia in medio

tenebrarum ultimæ forsor vigiliæ noctis hujus flant venti vehementiores, & jam impletur navicula fluctibus:

In mari magno mundi hujus exorta tempestas est qualis non fuit ab initio, ab ardore effrænae & sacrilegæ libertatis, quæ nec vincula sancta novit revereri rationis & fidei quibus inconstitiam & infirmitatem humanæ mentis præmunire dignata est summa bonitas tua, nec terminos antiquos à patribus positos jam transgredi ducit nefas:

Exurge & cura tibi sit de nobis periclitantibus ob modicam fidem nostram; & quia semper pronsumus in fluctuationes & dubitationes, adauge nobis fidem: credimus, Domine, sed adjuva incredulitatem nostram:

Exurge: usquequò oblivisceris nos in finem, iratus est furor tuus super oves pascuae tuæ?

Salva nos, jam enim perimus; impera ventis & mari; dic tantum verbo, & siet tranquillitas; dic mari: Tace, obmutesce, & vento, ne flaveris.

13. Ostende faciem tuam, Domine, Deus virtutum, convertere, respice de cœlo, & vide quia singularis ferus depascitur vineam tuam.

Mitte auxilium tuum de sancto, & perfice quam plantavit dextera tua.

Novi, Domine, & firmiter credo quia firmata est Ecclesia tua supra petram, nec portæ inferi prævalebunt adversus eam: novi quia in ipsa eris

usque ad consummationem , novi quia & supra
lapidem istum qui ceciderit collidetur , & super
quem ceciderit conteret eum.

14. Verùm pro domo , pro patria , timore con-
cutor & contremisco : ne sinas , Domine , ne
sinas auferri à nobis regnum tuum , regnum tuum
apud nos sit regnum omnium seculorum .

Et si gens tota , heu ! non facit fructum ejus ,
parce ignorantis multorum propter illos qui fortes
in fide assumunt scutum & galeam contra tela im-
pietatis ignita :

Parce levitati gentis deceptæ : recordare quo-
niā pulvis sumus , & spiritus pertransit in nobis ,
& non subsistit , nec unquam in eodem statu
permanet :

Parce , ô qui idem semper es , & cujus anni non
deficiunt sustine in clementia & longanimitate tua
miserias nostras : infatuatas & illusas mentes illu-
mina : & ad ovile tuum reduc errantes oviculas
tuas :

Suscita dormientes in sepulcris qui obliti sunt
tui & mirabilium tuorum & misericordiarum
tuarum , heu ! pro nihilo habentes emptam san-
guine tuo terram desiderabilem , terram lacte &
melle manantem , regnum sanctum tuum quod
intra nos est .

Et dignare , ô Domine Jesu , Pastor æterne ,
incessanter stare in confractione , ut avertas iram

Patris, ne juxta malitias nostras faciat nobis, ne disperdat, dejiciat & relinquat secundum iniquitates nostras gentem totam in pœnam geniminis irritatoris, exacerbantis, & in adinventionibus suis impiis & sacrilegis ad iracundiam provocantis.

CAPUT IV.

Non in doctis humanæ sapientiæ verbis vera
Philosophia, sed in doctrina Spiritus.

I. **L**ILLA verè à Deo est philosophia quæ pariter & doctos & rusticos, prudentes & simplices ad discipulatum admittit.

Doctus & rusticus, simplex & prudens uterque Dei factura: utriusque sine acceptione evangelium regni Dei prædicavit Dominus Jesus: utrumque vocavit ad philosophiam suam qui ait: Venite ad me omnes.

Divites & magni, paucis exceptis, nuncium salutare spreverunt: ex parvis & pauperibus multi receperunt.

Communi strictâ viâ in schola Christi ad apicem evangelicæ perfectionis pauperes & indocti, simul cum magnis, eruditis & sapientibus tendunt.

Humana philosophia exquisitiora & aptiora ingenia elit, tardas & opacas mentes rejicit:

hanc patet à creatura esse quæ ita privatum & selectum effundit lucem suam.

2. Quæ lucem dat omnibus venientibus in hunc mundum manifestum facit auctorem suum Deum creatorem optimum, diligentem opus suum exquisitus quod fecit super terram, hominem ad imaginem conditum & similitudinem suam.

Simplices, modò sint sensu & voluntate ferventes, ad christianam perfectionem gradiuntur in via spiritus sicut & prudentes: quin & istos ad illam assequendam hujus sanctæ simplicitatis oportet fieri æmulatores.

Felix homo qui pretiosam hanc veræ philosophiæ margaritam invenit! beator qui omnia vendidit & dedit pauperibus, ut hanc solam sectaretur!

3. Una lex est in hac sancta philosophia juxta quod est ab eo qui unus est.

Simplicitas legis radicem ejus demonstrat in cœlo.

In uno omnia locutus est Deus: digna lex summo auctore suo.

Lex illa summa & una, emanatio est summæ justitiae, summæ misericordiae: digna fonte suo.

Illa est quæ lucerna omni homini est in caliginoso terræ hujus peregrinanti:

Quæ scripta est indelebili atramento in corde & mente: quippè hoc opus legis scriptum in cordibus, ut ait Apostolus.

Hanc olim Deus loquens patribus sculpsit in lapide digito suo :

Hanc denique in fine temporum novissimè locutus est nobis in Filio, ille qui est & semper idem est, & non mutatur.

4. O verè beata lex in qua edoctus est homo diligere Dominum Deum suum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute sua !

O verè dulciss super mel & favum eloquium illud simplex, lætificans corda, & sapientiam præstans parvulis !

O verè justum mandatum quo nihil justius nec prius excogitari potest !

O summa misericordia mandati, in quo per voluntatem Dei beneplacentem & perfectam inventur summa hominis gloria, summum meritum, & summa ejus & indefessa felicitas !

In via hac misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax cuius dulcedo exsuperat omnem sensum, osculatae sunt.

Quid retribuet homo pro omnibus quæ retribuit illi Deus in illo uno in quo omnia & ex quo omnia?

Unam petam à Domino, hanc requiram, ut in illa sancta dilectione vivam & moriar, peregriner & exeam à domo carceris hujus, visitem templum Domini, intrem in tabernaculum Dei, & ibi inhabitem in longitudinem dierum æternorum ! Amen.

C A P U T V.

Audiat qui vult lātos & bonos videre dies.

NEQUAQUAM fieri potest ut amplior sit in
vitiis delectatio quām in virtutibus.

Solus Deus, Deus virtutum, totius veræ jucun-
ditatis sōns est, totius veræ lātitiæ & exultationis
origo : experto crede.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, inquit
Psalmista, *sicut in omnibus divitiis* : promittenti
confide.

Nemo est qui propter Evangelium reliquerit vel
aliquid ex his quæ diliguntur in mundo *qui centu-*
plum non accipiat etiam nunc in tempore hoc.

Si quis autem apostatans à Deo detrahit pro-
missis illius qui est summa veritas, noli attendere.

Et hoc mūtò magis crede, quia carnalis homo
non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia
illi videntur.

2. Qui propriam voluntatem nunquām abje-
runt, qui fuerunt increduli verbo Dei, qui non
penitus renuerunt consolari caducis & transitoriis,
quorum mens ad alias consolationes inhiat usque
adhuc, his cœlestis consolationis gratiam meritò
subtractam non miremur.

Quot & quanti spiritu cœperunt ; sed , heu !
carne posteà consummantur .

Ergo ut petentes accipiamus , quærentes inve-
niamus , pulsantibus aperiatur , oportet dignâ de-
votione petere , pleno affectu quærere , desiderio
vehementi pulsare .

Operariis conductis in vineam suam nunquid
cibum denegabit in opere optimus paterfamilias ?

Nunquid filiis potentibus panem , lapidem por-
riget pater benignissimus ? & militantibus sub
vexillis suis stipendia consolationis & refectionis
non ministrabit de thesauris indeficientibus mise-
ricordiæ & gratiæ Rex magnificentissimus pro
necessitate laboris ?

Nùm vel unâ die defuit manna in deserto filiis
Israel , donec terram promissionis intrarent ?

3. Væ illi qui centuplum illud non novit , qui
illectus & abstractus à concupiscentia sua sponte
deserit sanctas & puras delicias mentis & cordis ,
& qui postquam in croceis nutritus est , amplexari
forsan non horrescit siliquas , turpitudines , im-
mundicias .

Centuplum illud datum optimum descendit à
Patre lumen , ipsa est visitatio Spiritûs conso-
latoris , & præsentia Christi , adoptio filiorum ,
libertas & primitiæ spiritûs , deliciæ charitatis ,
gloria conscientiæ .

Regnum Dei intra nos , justitia , pax & gau-

dium in Spiritu sancto , ignis quem Christus voluit accendi.

Virtus ex alto per quam crucem amplectimur , cruci adhæremus , cruce delectamur :

Pax imperturbabilis quæ exsuperat omnem sensum , gratia devotionis , unctio sancta quæ docet nos de omnibus :

Manna absconditum quod promittitur semetipsum vincenti in quotidiano certamine :

Ineffabilis multitudo dulcedinis quam abscondit Deus timentibus se , perfecit eis qui sperant in eum :

Abundantia suavitatis desiderabilius super aurum & lapidem pretiosum , & dulcior super mel & favum , cuius saporem inexpertus ignorat , expertus vix fari potest , & nemo scit nisi qui accipit.

4. Ne cuncteris ergo in hoc felicissimo commercio offerre in holocaustum quidquid charissimum cordi tuo est , filium tuum quem diligis Isaac , ut olim fidelis Abraham.

Dum gaudium tuum quodcumque immolabis obediens voci Domini , nequaquam peribit tibi laetitia , nec jugulabitur Isaac ; sed vivens vivet elevatus in ara crucis , crucifixus quidem mundo & vanitatibus & concupiscentiis ejus , sed vivens Deo.

Amor terrenus aries contumax hærens veribus

& spinis, irretitum cor tuum sollicitudinibus & curis hujus seculi & fallaciis divitiarum mactabitur quidem, sed tu vives renatus ex Spíritu sancto.

Reputatus tristis ab his qui iudicant secundum faciem, semper autem gaudens; pauper & nihil habens, sed omnia possidens; quotidiè moriens, & ecce vitâ vives suavissimâ absconditâ cum Christo in Deo.

5. Habetus ergo promissionem non tantum vitæ futuræ, sed & præsentis quæ nunc est ad obstruendum os loquentium iniqua.

Adeò ut non modò fructuosius, verùm etiam jucundius, non tantum salubrius, sed & suavius sit Deo servire quam mundo.

Sed heu quia non omnium fides, & multi nomine tenus sunt fideles, multi perire potius eligunt falsæ & minimæ cujuspiam consolationis obtentu, quam in vera & maxima exultatione salvari:

Heu, miseri filii Adam, excutite jugum grave quod à die adventus vestri in hunc mundum premit vos: tollite jugum Christi super vos, jugum suavissimum illius qui solus reficere novit animam esurientem & sitiensem, & in semetipsa deficiente.

6. Properate & emite absque argento vinum & lac: vinum dulcissimum infundens cum charitate saporem virginitatis & continentiae: lac innocensissimum,

tissimum , quo refocillantur modò geniti infantes
in gremio Salvatoris.

Sine dolo viam Dei quærite in simplicitate ;
nullamque vobis mendaciter partem pretii in
abdicatione terrenorum retinete cum Anania &
Saphira , qui ad Deum acceditis , & temporalibus
æterna , carnalibus cœlestia , humanis divina vultis
comparare.

Quid in via Ægypti appenderitis argentum
vestrum , & non in saturitate ?

Quid in regione longinqua ubi sœvit dira famæ ,
animæ substantiam pretiosam , aurum vestrum
consumeritis pro siliquis quæ etiamnum arcentur
à vobis ?

7. Ad verum gaudium revertimini , ad gaudium
quod nemo tollet à vobis .

Confitemini quia verè malum & amarum est
dereliquisse viam Dei .

Gustate quoniam suavis est Dominus , etiam
dum flagellat filium quem recipit .

Anteponite verbera diligentis , fraudulentis os-
culis odientis .

Cavete à suavitate mundi , à fraudulentia vene-
fiorum quibus innocentes & inexpertas mentes
inebriare conatur .

Recedite à blanditiis vinculum quibus illa-
queare gestit animas vestras inimicus infensissimus
ut in æternum perdat eas .

Audite & sequimini vocem Redemptoris qui non auro, sed proprio sanguine, suos vos fecit, qui & nunc amanter vocat vos, qui erroribus & malitiis vestris expandens sinum charitatis immensa, diligit vos charitate perpetua, & ineffabili suaviloquio miserans ad penitentiam incessanter attrahit vos.



CAPUT VI.

Quærite Dominum, & confirmamini;
quærite faciem ejus semper.

1. **B**EATUS qui ad spiritualem vitam ardet transire, quia sapientia præoccupat eos qui se concupiscunt, occurrit eis & ostendit se in viis suis hilariter!

Beatus qui vultum Domini sincerè requirit, qui quærit faciem ejus semper, qui providet Dominum in conspectu suo omni tempore!

Quia Deus misericors vultum suum ostendet quærenti se, promovebit & attrahet contemplatorem se, evehet hominem ad vias novas, ubi hauriet in gaudio de fontibus Salvatoris.

Reducet eum ad paradisum novum, in terra ubi nec pauciores quam in paradiso primo apparebunt fontes, & erunt salubriores.

Misericordiae fons ad purgandas foeditates nostras in remissione peccatorum:

Sapientiae fons ad irrigandas plantas bonorum operum in aquis devotionis:

Fons charitatis ad decoquendos affectus nostros in aquis ferventibus, qui fons emittet aquas salientes in vitam æternam.

2. Ab illo, verè renatis ex spiritu, felix transitus fiet ad fontem vivum, fontem vitae, fontem perennem beatitudinis & amoris.

Charitas nunquam excidit: succensa in hoc seculo nunquam deficiet in futuro.

Ita quærat mens lucida Dominum, ut illum valeat invenire cor nostrum.

Sic ratio deducat investigantem, ut amor apprehendat inventum.

Nec scientia sufficiat nobis sine transitu ad sapientiam.

Vana scientia est quæ ad hunc finem non deducit studia nostra.

Ille solus sapiens est cui sapit Deus.

Domine, super hoc ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Fac ut omnia studia & conatus mentis & animæ meæ ad hoc nitantur ut videam te, videndo intelligam, intelligendo amem, amando habeam, & habendo requiescam in te.

A te enim & per te, & initium bonæ inqui-

sitionis , & progressus rationis , & sanctificatio
transformatae voluntatis nostrae fragilis in sancta
& immutabili & perfecta voluntate tua.

3. Tu solus potes spiritum nostrum & animum
vitio carnalis originis implicitum , peccati servum
effectum , & captivum in lege peccati quæ est in
membris nostris liberare in luce qua luxisti in tene-
bris mundi hujus , in ignem quem venisti in terram
mittere.

Tu solus animum bonum facere potes qui solus
bonus es : tu solus spiritum rationalem qui summa
es & æterna ratio.

Etiam , Domine , & confiteor nomini tuo , quia
tu super omnia bonus , & ex hominibus quos ad
imaginem tuam creasti is solus bonus est , is solus
rationi subditus est qui fonti & exemplari fideliter
adhærens novit diligere te ex toto corde suo , ex
tota anima sua , ex totis viribus suis , & non nisi
in teipso seipsum , & proximum suum sicut seip-
sum , quia hoc est omnis homo timere te , & man-
data tua observare .



CAPUT VII.

Ultima hora est, jam tempus est
de somno surgere.

1. **N**OLITE diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: hæc sunt verba Discipuli quem diligebat Jesus.

Non creatureas Dei jubemur odisse quæ à Deo sunt, sed quæ non sunt à Deo ea diligere prohibemur.

Audiamus quæ sequuntur: *Omnia enim quæ in mundo sunt concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

A mundo igitur sunt ambitio, curiositas & voluptas: à mundo delectatio corporalium sensuum, secularis gloria: extrinseca vanitas, & elatio.

Qui sectatur vel diligit illa, mundum diligit.

Porrò qui diligit mundum inimicus Dei constituitur.

Inimicus Dei fit quicunque voluerit amicus esse hujus mundi.

2. Amici mundi in magnis ambulant & in mirabilibus, longè à laboribus, longè à flagellis hominum.

Sed quos beatos prædicat mundus, qui florent

in cœtibus filiorum hominum , nunquid ab auctore mundi , à vero beatitudinis dispensatore prædileguntur ? Absit.

Quippè ii sunt quos ideo tenuit superbia , qui operti sunt iniquitate , qui posuerunt in coelum os suum.

Quorum quasi ex adipe prodiit impietas , qui transierunt in affectum cordis.

Qui dixerunt : Fruamur bonis , utamur creaturâ celeriter , vino pretioso & unguentis nos impleamus , & non prætereat nos flos temporis.

Coronemus nos rosis antequam marcescant , nullum sit pratrum quod non pertranseat luxuria nostra.

Sic cogitaverunt & erraverunt , nescierunt sacramenta Dei ; & dicentes se esse sapientes , stulti facti sunt.

3. Intremus in Sanctuarium Dei , & intelligamus in novissimis eorum.

Misereamur impio , ait Dominus , in sancto suo : Dominus ante cujus oculos anni multi sicut dies hesterna quæ præteriit.

Sed in hac misericordia , heu ! non discit homo justitiam facere , sed obdormiscit miser vel audacter dicit : Oblitus est Deus ; avertit faciem suam.

Et ecce dum ducit in bonis dies suos , dum ducit pax & securitas in puncto ad inferos descendit , subitaneus supervenit ei interitus , nec effugit.

4. Igitur propter quid irritavit impius Deum, exacerbavit adeò Dominum peccator, ut secundum multitudinem iræ suæ non quærat:

Ut nec arguat, nec flagellet, nec inquirat & ulciscatur in omnes adinventiones ejus, & ut tremendam hanc magis omni furore temporaneo misericordiam meditetur?

Quia dixit in cordi suo: *Non requiret, nec est refrigerium in fine hominis, & post hoc erimus quasi non fuerimus.*

Væ iis ergo qui expectant ut Abraham mittat qui testetur illis, ne veniant in locum tormentorum ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur!

In locum tormentorum & tenebrarum extra domum nuptiarum sempiternarum Agni immaculati, ubi fletus & stridor dentium, & sempiternus horror inhabitat!

5. Væ qui non novit, quia ut probaret nos Deus animam inclusit corpori, terrenum & temporaneum habitaculum dedit spiritui, ut tandem cuncta quæ ab homine fiunt adducat in judicium!

Væ misero qui antequam credidit expertus est, dum revertitur pulvis in terram suam unde erat, spiritum ad Deum redire tremendum Judicem, qui judicium ponet pro omni errato sive bonum sive malum!

Væ qui dum videt sub sole in loco judicii im-

pietatem , & in loco justitiae iniquitatem , dixit insipienter : *Nubes latibulum Dei , nec nostra considerat , & circa cardines cœli perambulat !*

Et non , rectius & verius , cum Sapiente dixit in corde suo : *Justus Deus qui & justum & impium judicabit , & tempus omnis rei tunc erit !*

Cui tempus fuit ridendi , saltandi , tempus erit flendi & dentibus stridendi.

6. Lazarus recepit mala in vita sua , ulceribus plenus frustra cupivit saturari de micis quæ cedebant de mensa divitis : hunc canes soli ad januam amplissimæ domûs advertebant venientes & lингentes ulcera ejus. Indutus purpurâ & byssô palati dominus quotidiè epulabatur splendidè.

Nondum septem tempora immutata erant super eos , & in puncto , mortuus mendicus ab Angelis portatus est in Abrahæ sinum : dives in infernum detrusus.

Stat justum judicium per quod tempus omnis rei est.

Consolatur Lazarus , cruciatur in flamma dives : micæ mendico negabantur , diviti negatur aquæ guttula .

Væ vobis qui ridetis , quia lugebitis !

Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram !

7. Heu ! quis intonat illud horrendum vœ ? Agnus mitissimus qui venit ut averteret phialas

iræ Dei. Quis non expavesceret ad vocem ejus?

Experciscimini, ebrii divites, mundi idololatræ amatores, & flete & ulitate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, qui habitationes usque ad cœlum erigitis, nec est finis acquisitionum vestrarum.

Quia si & in sideribus posueritis nidum vestrum, indè mox evellet vos invisibilis manus: usque ad cœlos exaltafstis vos, usque in infernum demergemini, & tempus omnis rei erit.

8. Quanta fiducia pauperis & humilis, qui in angulo domatis habitans mundo despectus, & Deo notus, Christi vitam meditatur assiduè!

Etsi pane cibetur lacrymarum, & potum det ei probator cordium Deus in lacrymis in mensura, sub jugo suavissimo Salvatoris superabundat interim gaudio in omni tribulatione:

Sciens quia momentaneum illud & leve tribulationis in terra, mox æternum gloriæ pondus operatur in cœlis.

Calicem Christi babit assiduè particeps crucis ejus & mortis, sciens quia si commoritur & consepelitur, conresurget & conregnabit.

In ergastulo corporis expectat omni hora donec sponsus dicat: *Veni.*

Ardet ad *transitum*; semper præsto est ut aperiat Januam quandò pulsaverit Dominus: & ad sequendum Agnum lucernam manu tenens ardentem &

lucentem, quocumque noctis hujus instanti, seu
mediâ nocte, seu ad galli cantum expeditus & vi-
gilans præsto est & incedere gestit.

9. Qui sarcinam divitiarum abjecit, quid mi-
rum si celerius currit ad montem Dei, quâm qui
gravatus retardatur pecuniarum pondere, negotio-
rum secularium onere, pompæ & fastûs operosis
implicationibus?

Impermeabile non est acûs foramen illi qui
vendidit omnia quæ habuit, qui terrenis omnibus
exuit se exiguus factus & tenuis.

Per superbiæ inventa superflua, currus quasi
triumphales, equorum apparatus, amplas & otio-
sas servorum familias, ornatos thalamos, multi-
plices mensas, palatia deaurata, domos depictas,
mollitiem & gloriam vestium, ampli nimis &
grossiores evadunt qui in illis confidunt, quâm ut
arctam viam tenere, vel per angustam portam in-
trare valeant.

10. O fortunatos nimium qui relictis omnibus
abnegantes semetipsos, crucem suam bajulantes
singulis diebus nudi sequuntur nudum Jesum!

Pannis involuti, pannosum infantem positum
in præsepio!

Exules & peregrini in terra ista, pauperculum
Filium hominis qui non habuit ubi reclinaret caput
suum in omnibus civitatibus Juda!

Viles & mundo despecti, qui in propria venit

quæ creaverat, & quem sui non receperunt!

Crucifixi & mundo mortui, quem extra vineam eduentes perfidi agricolæ maestaverunt suspentes in ligno, imprecantes & blasphemantes!

Laborantes manibus suis, qui faber dictus est, qui fabri filius reputatus est, qui subditus Joseph, pauper & in laboribus à juventute sua, fabrilia opera operando assidue, ex arte fabrili alimoniam sibi comparavit!

11. Ter beatos qui jugum tuum portavere à juventute sua, ô faber, cuius manus in jugis & aratris conficiendis desudare non horruerunt!

Dignum est, Domine, ut jugum tuum sanctum juga omnia dæmoniorum evacuet.

Dignus est Agnus accipere regnum: dignus est vincere leo de tribu Juda.

Vicit: in rete piscatorum paucorum mundus totus captus est.

Modicum fermentum in farinæ ingentia fata tria manu pauperis adhuc mulierculæ nascentis Ecclesiæ immixtum est.

Et ecce orbis terrarum fermentatus est totus: eoram pauperibus & debilibus corruerunt potentes & fortes: per stultitiam crucis evacuata est sapientia mundi.

Facta sunt aspera in vias planas: nova facta sunt omnia super terram: regnum Dei firmatum est.

12. Quis neget miraculum regni Dei? porten-

tum lapidis abscissi de monte qui mons ipse factus est, & implevit terram?

Proh dolor! in hanc horam devenimus potestatis tenebrarum, in hanc fæcem seculorum, ubi effunditur undique doctrina mendacii à filiis diffidentiae.

Turbantur, scandalizantur Fideles à falsis sapientibus qui charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent: involvuntur & suffocantur pusilli & magni quasi à diluvio pravorum dogmatum; velut ab aquis multis rapiuntur, immerguntur in librorum & scriptorum farragine tenebrosa.

Pervertuntur à doctrina inimicorum crucis Christi, magistrorum insipientium qui sub obtentu sapientiae & veritatis inquirendæ omnem veritatem concutere, omne certum respuere ausi sunt.

O scandalum crucis post crucis trophyæ innovatum! ô monstrum hactenùs inauditum sed prædictum!

Nunquid jam venere tempora apostasiæ ab Apostolo prænunciatæ?

Nunquid jam adsunt de quibus dictum est quia extollentur supra id omne quod dicitur Deus, aut quod colitur? & mox revelabitur filius perditionis?

13. Heu! contremuerunt omnia ossa mea, dum attendo hactenùs quidem per hæreses & varia schismata scissa fuisse vestimenta Christi.

Variis locis & temporibus per partes & sigillatim dilaniatam doctrinam Sponsæ Christi , & hoc in pejoribus seculis.

Nunc verò ad hæc nos venisse pessima tempora, ubi fidei ædificium ipso summo angulari lapide Christo Jesu per Apostolos ejus fundatum , ab eodem ipso fundamento laccessere , oppugnare , diruere conantur Ministri Satanæ , transfigurantes se in Angelos lucis.

Ascendit è mari super orbem terræ pessima bestia , monstrum horrendum , parata bellum facere contra Christum & Evangelium sanctum ejus.

Superbia vitæ germen ejus : cunæ illius concupiscentia carnis , tenebræ iniquitatis & impietatis :

Crevit per inobedientiam & audaciam : serpebat in generatione altera per obscuros tramites , in ista cœlum attigit caput inter sidera condens.

14. In medio Christianorum antichristianismus exaltat ut tuba vocem suam ; & ad infandum sonum mirantur populi , stupent senes , plaudunt juvenes : licentiam cordis superat licentia mentis.

Semimortuam & operibus vacuam fidem in mundo huc usque per æva quæ præcesserunt servi Dei pœnitentiam prædicantes invenerant.

Tuncque quorum mentes concupiscentiis deceptæ tantummodo , longè erant à spe præmiorum sanctorum , quandiu fidem etsi mortuam profitebantur , horum corda per timorem judiciorum Dei,

in viam spei sanctæ saltem reduci quondam posse
spes erat.

Quin & ab ipsis delinquentibus peccatoribus de terrenarum voluptatum amore ad amorem sanctum Dei felix ille transitus expectabatur, reponebatur, desiderabatur sola forsitan voce emortuæ fidei & extremis labiis cordis, veruntamen in fide, etsi à longè & in futurum, corversionem mediantis.

Crevit in immensum malitia mundi: mundus inimicissimus factus Deo, in medio Christianorum, velut in medio Gentilium, ad hoc venit ut fidem subsannet, spem irrideat, amorem Dei, vel vanum otiosarum mentium affectum, vel excessum & motum fanatici cordis & mentis sacrilegè arbitretur & sentiat.

15. Eia! recedite de medio Babylonis, qui fide statis, qui quæritis assiduè regnum Dei & justitiam ejus, expectantes beatam spem:

Qui diligitis & ex Deo nati estis, qui cognoscitis & creditis immensam charitatem Dei quâ prior dilexit nos & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

Manete in fide, & spe, & dilectione, dum in circuitu impii ambulant, in circulo erroris, à vero in æternum deviante:

Dum moventur omnia fundamenta terræ, nihilque adeò sanctum est quod non impugnetur à

gente superba , edocta à superbiæ spiritu adversus omnem veritatem exurgere , & quæ ad exemplum ejus concutere sedem Altissimi non veretur.

Væ mundo huic pessimo , inimico regni Dei ! absit à me , protegente gratiâ tuâ , ut hunc mundum diligam à quo abest charitas , in quo sorbent omnia concupiscentia carnis , concupiscentia oculorum & superbia vitæ :

In quo regnat malignus , qui odit Christum & Discipulos ejus , horret doctrinam & jugum sanctum ejus .

16. O Domine ! fac me cum Loth à terra maledicta ad montem confugere & in eo salvari .

Melius est elongare fugiens , & manere in solitudine , quam videre contradictionem sanctorum verborum tuorum in civitate :

Abiectam & ignotam tecum vitam ducere in labore & oratione , quam in regione pestifera periculose conversari , quam in medio mundi seducti & seductoris ambulare in stolis , sedere in primis cathedris , salutari ab hominibus , & vocari magister vel dominus .

Heu ! quæso , Domine , unicuius tua sancta sit quæ deducat me in hanc solitudinem , ipsa maneat in me , ipsa doceat me despicere gloriam mundanorum , fastum seculi , pompam divitiarum , divitias fugere , carnales affectus frænare :

Te semper querere , tibi semper servire , in te

sperare , & per fidem operantem , spem certam ;
charitatem non fictam , incessanter in te currere
& progredi , quia vita nostra es :

Ad te in fine *transire* qui consummata vita es :

Tandemque in te similis tibi factus , in æternum
immergi , & in cœlis consummari , cui in terris
hanc misericordiam exhibuisti , ut ab immundis
vestibus exutum , sordibus iniquitatum ablutum ,
inter eos qui filii Dei nominantur & sunt in Eccle-
sia sancta tua , per inenarrabilem charitatem re-
demptionis tuæ computari volueris. Amen.

CAPUT VIII.

Apud me oratio Deo vitæ meæ ; dicam
Domino meo : Domine , doce me orare.

I. O DOMINE Jesu , qui exaudire dignatus es
Apostolos tuos quandò deprecati sunt te ut doceres
illos orare sicut Joannes docuerat Discipulos suos !
admitte miserum peccatorem secùs pedes sanctos
tuos , ut cum illis audiat te , & discat ab ore sancto
tuo artem illam sanctam orandi , cùm oporteat
semper orare & nunquam deficere.

Ars artium est cùm qua qui petit , accipit , qui
quærit , invenit , & pulsanti semper aperitur :

Hanc edoce me , Domine , in misericordiis tuis

multis, ut sciam in necessitatibus & periculis breviter & simpliciter configere ad te:

In inquisitione veritatis prolixius insistere pulsans & quærens:

In infusione gratiae & charitatis tuæ affici & illuminari humiliter fruens & gaudens.

2. Doce me ita temporalia postulare, ut nunquam pertinaciter inhæream, sed sicut est beneplacitum tuum: tu scis etenim quid melius homini sit.

In obsecratione instare diutiùs, in lacrymis, in fletu & planctu, & si desint lacrymæ, in humilitate & patientia perseverare.

Justè enim misero peccatori & cœlum æneum & terra ferrea fit: justè mihi relinquitur duritia cordis & anxietas desiderii, qui tam sæpè stanti ad ostium & pulsanti apérere recusavi, spiritum extinguere non formidans.

Sed quod negari videtur instanti, scio, Domine, quia id solummodo constat differri, & tunc insperato exaudiri, qui humiliter indignitatem suam profitetur cum Chananæa illa quæ omnia impetrat prout vult, dum velut immundam alienigenam despici se & præteriri humiliter patitur, & ad micas cadentes de mensa filiorum pro summo ducit admitti.

3. Doce me in verecundia & humilitate & fervida gratiarum actione stare; & quando non nunquam sine labore petens accipio, quærens invenio, & pulsanti aperitur:

Et quando puræ orationis affectus , & bona illa orationis suavitas tandem invenitur post laborem obsecrationis :

Et quando potius invenit me quasi nescientem suavior affectus ille , quām invenitur à me.

Etsi enim adhuc in conditione servorum , interdūm tamen admittere me ad mensam filiorum dignaris , Domine , in abundantia suavitatis tuæ :

Et rufis adhuc & incipiens animus meus in eum orandi affectum assumitur , qui pro præmio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum .

Et sic quandoque agis etiam cum misero peccatore , ut ostendas animæ torpenti quid negligat , & ut tepidum cor meum ultra se offerens charitas tua accendat .

4. Salva me ergo , Domine , à sacrilego abuso gratiæ tuæ , & fac ut dum pascor pane filiorum , non arbitrer memetipsum fallens jam me esse de filiis .

Ne sinas me deficere undè proficere debui , & ex visitante gratia tua evanescere à conscientia mea , existimans me aliquid esse cùm nihil sim :

Ne sinas me de bonis tuis indurari , & inimicus fieri usurpando gloriam tuam , dum debeo ex illa magis instare emendationi meæ , & in contemplatione vilitatis & indignitatis meæ tantò magis humiliari & confundi .

Sed magis ac magis dilata cor meum , & fac me

currere in via orationis ; miserum homuncionem docens pro intellectu quem ipsi impertiri dignatus es , & pro cognitione gratiae & misericordiae tuae , assiduè perseverare in gratiarum actione .

5. Da mihi indeficientem & indefessam bonae voluntatis intentionem erga te , etiam dum exterior actio , vel interior affectio abest vel torpet pra multitudine miseriae meae :

Da mihi charitatem illam quae nunquam deficiens sine intermissione orat , & semper gratias agit .

Stabiliatur per Spiritum sanctum tuum in me jugis illa bonitas mentis & animi benè compositi :

Illa ad Patrem Deum similitudo bonitatis ejus in filiis Dei , quae gratias agit in omnibus , orat semper pro omnibus .

Et toties & tot modis in oratione vel gratiarum actione in Deum jugiter se refundat cor meum , quoties & quot modis affici debet & potest affectus meus , in necessitatibus & consolationibus propriis , in proximi compassionibus vel congratulationibus .

6. Qui sic in gratiarum actione nunquam deficit , semper orat , & vel tunc frequenter quando sibi videtur nescire sicut oportet orare , & totam spem ponit in Spiritu , qui postulat pro nobis omnibus , gemitibus inenarrabilibus .

Ad hos fructus perfectionis , sublimes excessus contemplationis tenditur , non tantum per quiet-

tem solitudinis, sed & per laboriosum usum socialis
vitæ & dulcedinem charitatis fraternæ.

Sed ut ascendamus supra nos, discamus semper
descendere infra nos, semper premere, semper
dejicere nos, & eò magis libenter & gaudenter de
die in diem subjicere mentes & corda jugo sancto
Domini nostri Iesu Christi.

7. Initio subjiciemur fortasse invitâ membrorum
lege: verùm in brevi illa necessitatis subjectio
vertetur in subjectionem charitatis:

Initio virtutes erunt plenæ laboris; sed mox
vertentur in mores.

Si nitamur etiam incipientes ad ea quæ sunt
perfectorum, non elationis præsumptione, sed pie-
tatis amore, non repellemur ut superbi, sed susci-
piemur pro devotione sincera:

Et modo stemus in paupertate spiritûs, sublima-
bimur, & idipsum experiemur quo frui datum est
perfectis & spiritualibus.

Verùm super omnia, eorum semper vitam
activam & laboriosam imitari studeamus, quorum
contemplativam consolationem ambimus.

Et veram illam humilitatem sectari nusquam
cessemus, quâ eò profundius dejiciunt se in semet-
ipsis, quò in oratione altius elevantur supra se,
& sublimantur à Deo.

8. O mirabilis via in qua uno spiritu licet non
uno gradu proficiunt & perfecti in humili, &
incipientes in sublimi!

O altitudo divitiarum misericordiae & miserationis & dignationis Dei stantis ad ostium cordis nostri & pulsantis ut intret, & ad coenam suam admittatur anima fidelis & sancta!

Quid est homo ut sic visites eum, & coenam hanc manducare cum illo, desiderio desideres, Domine?

Quid est anima mea ut requiratur a te?

CAPUT IX.

Ostendam vobis, ait Dominus, quem timere debeatis: Qui querunt animas occidere, hi vere & summè timendi sunt.

AD me dictum est verbum absconditum, & quasi furtivè suscepit auris mea venas susurri ejus. In horrore visionis tenuit me pavor & tremor, omnia ossa mea perterrita sunt, & inhorruerunt pili carnis meæ: Consummabitur, ait Angelus, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

Heu! nunquid venerunt dies ubi videre est abominationem desolationis in loco sancto, dum antichristianismum non serpere jam, sed in magnificentia verborum & suaviloquio videmus extollere se, & animas perdere in medio Christianorum?

Nunquid fugiendi ad montes tempus advenit omnibus qui zelum habent legis & testamenti Domini , & relinquendi quæcumque habent , ut querant justitiam & judicium , & sedeant in deserto ?

2. Venio citò , ait Dominus ; erit & mox erit quando annihilabitur regnum hujus mundi , & fiet regnum Christi in æterna secula.

Dum ergo adhuc dies est , assumentes pennas prudentiæ , fugiamus , & confugiamus ad montem Dei .

Et si ibi inimici infensissimi qui Dominum Beelzebuth vocare ausi sunt , multò acriùs domesticos ejus inseguuntur :

Si turbant fortunata sabbata , beatam requiem & pacem nostram , patiamur , & si tempora venerint (quod avertat Deus) in quibus oportuerit patratos inveniri sive ad exulandum , sive ad moriendum , in simplicitate nostra præsto simus in diebus ubi sanctum conculcari videmus .

Jejunemus & induamus nos ciliciis , & cinerem imponamus capiti nostro , discindamus vestimenta nostra , & clamemus voce magna in cœlum , & dicamus :

3. O Domine , qui vides superbiam eorum qui contemnunt testamentum tuum & tabernaculum tuum ! adjuva nos .

Non in fortitudine nostra , sed in brachio tuo

forti dejice inimicos tuos. Heu ! quæ est fortitudo nostra ?

Malè accincti & pauci sumus valdè qui secundum legis præcepta ad illam sanctam & spiritualem pugnam valeamus admitti , cùm recedere libeat & iis qui domos ædificant super terram , & qui plantant vineas , & qui sunt formidolosi.

Non eligent mori mundo priusquam videre mala gentis sanctæ , qui voluptates hujus mundi sectantes post carnem in concupiscentia immun-ditiæ ambulant:

Nec qui thesaurizant sibi thesauros in terra :

Nec ii quorum non est finis acquisitionis illorum in loco peregrinationis , & qui vocare ambiunt nomina sua in terris suis.

4. Eripe me , Domine , in misericordia tua , ab hominibus inquis qui cogitaverunt iniquitates in corde , totâ die constituunt impia prælia.

Custodi me de ore peccatoris , & ab hominibus malis salva me , qui acuerunt linguas suas sicut serpentis , venenum aspidum sub labiis eorum consopiens animas in somno lethifero.

Cogitaverunt superbi supplantare gressus nostros : absconderunt laqueum , & funes extenderunt ut avertant à via recta , via simplici , via vitæ , & decipient in vanitate & præsumptione.

Juxta iter scandalum posuerunt : circuitus tenebrarum , & negationum , & destructionum , &

contradictionum mentientium sibi, labor labiorum ipsorum.

O Domine, virtus salutis meæ! ob umbra caput meum in die belli tremendi hujus.

In die caliginis, ô tu qui vera lux es, & in quo tenebræ non sunt ullæ! illumina tenebras meas, & fac me in luce tua sancta perseveranter ambulare.

5. O Domine! averte oculos meos ab iis qui Deum blasphemantes, à sancto Dei nomine denominationem malè derivantes, indebitum cognomem sacrilegè usurpare ausi sunt: non Theistæ ut prætendunt, sed veri Antitheistæ.

Absit à me ut nefariæ usurpationi assentire indulgem, edoctus à sancto Evangelista, quia hujus in ore mendacium est, qui dicit se societatem habere cum Deo, & tamen in tenebris ambulat.

In tenebris sunt & malè sapiunt sapientes qui fastidiosè elongant se, & viam Dei, viam unam, viam ab uno, viam ad unum datam omnibus vilipendunt velut nimis tritam & à rusticoribus calcatam:

In tenebris sunt qui lucem novam arbitrantur inferre, dum omne bonum, omne verum destruentes mentes nostras in dubietatis & incertitudinis pelago conantur immergere, & corda nostra effrenæ libertati mancipare.

Cujus animus semper anceps & dubius, in tenebris immersus est totus: oculi ejus caligant in meridie;

meridie, & quasi in nocte sic palpans in fugore,
jam nescit unde veniat, aut quò vadat.

6. Heu ! salva me, Domine, à sumo & cali-
gine illa ascendente de puteo abyssi, cuius os
apertum videtur in fæce ista seculorum ; à falsis
sapientibus eripe me, & à pellicienti dulcedine
eloquii antichristiani.

Novissima hora est : heu ! evanescit fides, fides
quam vix inveniet in terra veniens Dominus, &
multi Antichristi sunt.

Prodierunt ex nobis, sed non erant ex nobis ;
cum non permaneant & stent nobiscum in fide :
nunc tempus cavendi ne improbae & incantatrixis
syrenis mortiferæ voci aurem seductam præbea-
mus : nunc hora contra standi firmiter, commo-
nefacti ab ore Domini prædicentis, & sanctorum
Prophetarum ejus.

Nunc oportet permanere in unctione sancta,
in qua edocisti de omnibus mendacium novimus à
veritate discernere.

Uni adhaerentes, uni incumbentes, in uno con-
fidentes, in uno sperantes, Christo mandante &
mandato sancto ejus.

Non nova mandante, sed novum dilectionis
summæ exemplar exhibente, dum tradidit semet-
ipsum pro nobis, dum animam exhalavit in tor-
mentis & opprobriis crucis, ut per sanguinem
suum emendaret nos à peccatis nostris.

7. O summa charitas Christi unigeniti Filii Dei! qui fieri potest ut in medio ignis illius quem venuisti in terram mittere , refrigerescens Christianus ad hoc transeat, ut neget Filium redemptorem?

Heu ! non caro & sanguis terrigenæ & carnali viro hoc altum mysterium revelant Christum esse Filium Dei , sed Pater qui in cœlis est.

A carne & mundo edocti sapientes illi superbientes quomodò super cœlestibus & æternis non evanescerent in cogitationibus suis ? quomodò non obscuraretur tumidum cor eorum qui cathedras suas in concupiscentia carnis , concupiscentia oculorum & ambitione seculi stabilire & fulcire præsumunt ?

Non his Pater revelavit Filium suum : Quiunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud , ait Dominus. Parvulis & rusticis manifestavit se Christus , parvulis illis dum spernuntur , dum despiciuntur ab his errorum Magistris , ab his Philosophis sublimè videntibus , ab his inflatis sapientibus secundùm carnem , Filium suum Deo revelare complacuit.

Confiteor tibi , Pater , quia abscondisti hæc , ait Christus , à sapientibus & prudentibus , & revelasti ea parvulis.

8. Verum dum Filium negant , Patrem blasphemant , quem per falsa dogmata nec queunt honorare , nec quærunt , vel intendunt , quia qui

negat Filium, nec Deum Patrem habet.

Filium negantes Patri consubstantialem, Spiritus comproductorem, majestatis participem, à quo ducuntur Spiritu manifestum faciant; is enim solus à Deo est qui confitetur Christum in carne venisse.

Negantes Christum à mundo sunt, ubi scandala regnant; de mundo sunt, loquela mundi loquuntur, & mundus eos audit.

Sed vae qui ostensam in virtute & signis quibus contradici non potuit, charitatem ineffabilem Dei prædictam & prænunciatam à seculo in libris Gentis insensissimæ ipsi regno super semetipsam inferto, agnoscere renuerunt!

Vae qui lucem inquirentes juxta obtenebratas mentes ipsorum lucem, heu! simul repellunt & vitam!

9. In hoc enim apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum:

Et in hoc summè apparuit, quia cùm nos non dilexerimus Deum, sed à dilectione per inobedientiam lapsus fuerit creatus homo, ipse iterum prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

Prior dilexit nos, quandò plasmavit & insufflavit in terrenum opus suum spiritum vivificantem:

Prior dilexit nos, quandò dignatus in similitu-

dinem hominum fieri , & habitu inveniri ut homo , quandò in terris redemit nos non corruptibili pretio , auro & argento , sed pretioso sanguine suo quasi Agni immaculati & incontaminati :

Prior dilexit , qui solus complens figuras omnium victimarum , & morte sua devincens peccatum & mortem , regnum Dei venit restituturus , filios Adam per peccatum mortuos in lapides vivos suscitaturus , ex iis muros Jerusalem ædificaturus , & ruinas ejus reparaturus .

10. O Domine ! da servo tuo qui sperat in te , ut sit de sancto semine quod videbit claritatem illius novæ Jerusalem , ubi revocatis captivis in gaudio reædificabit tabernaculum tuum , ubi fons de domo Domini egredietur , & irrigabit torrentem spinarum :

Ubi ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus , ubi ex lapide candido & mundo plateæ omnes , ubi portæ ex sapphiro & smaragdo , & ubi æternum alleluia cantabitur .

Da computari inter cives civitatis illius quæ erit sancta , & per quam alieni non transibunt amplius .

Tu solus , Domine , mundum facere potes de immundo conceptum semine , hominem quem mater in iniuitate concepit , & qui in peccatis natus est totus .

Per te in Spiritu sancto tuo renascitur homo & renovatur : innova , Domine , spiritum rectum

in visceribus meis, cor mundum crea in me, &
da legem tuam, legem sanctam amoris tui in corde
meo, & in mente mea scribe illam.

11. Ille sanctus amor unctio sit animæ meæ,
quæ doceat me viam sanctam tuam:

Quippe unctio tua sancta, ut ait Sanctus Joannes, Christianum docet de omnibus.

Viam tuam ingredi, & in illa perseveranter
ambulare mihi est pro omnibus, Domine.

Attraho spiritum vehementer anhelans in desi-
derando viam hanc: hanc concupivit anima mea
super aurum & lapidem pretiosum multum.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non
ut lex tua, non ut via tua, Domine.

Funes illorum circumplexi fuerant me, sed tu,
Deus, illuminator & redemptor, dirupisti vincula
mea.

Revelasti oculos meos, ut experires vias illorum
tenebras & lubricum, ubi mentitur iniquitas sibi:
amovisti tenebras meas ut simul viderem mirabilia
legis tuæ, & in testimoniiis tuis delectarer.

Ecce juravi & statui mandatum tuum incessan-
ter inquirere: doce servum tuum in bonitate tua:
perfice gressus meos, & corroborata genua mea in
viis charitatis, & à semitis sanctis nunquam mo-
veantur pedes mei.

12. Tu es illa via, Domine, tu qui charitas es;
& mandata tua gravia non sunt.

Quid grave videri potest in lege amoris , & amore Legislatoris ? quid grave diligenti te , diligenti non verbo , sed opere & veritate ?

In hoc enim solo inhabitat charitas tua qui servat mandata tua : & hic est finis unus & summus , ut mandata tua custodiamus .

O qui apparuisti in terris ut peccata nostra tolleres , ut cessantes esse filii irae fieremus filii Dei ! transfer me de morte ad vitam , de tenebris ad lucem tuam per infusionem charitatis illius sanctae .

Fac ut verè renascar à te , renatus amplius nec vulnerer per peccatum ad mortem , nec conturber , nullusque peccati cujuscunque subsistat affectus in me ; sed semen sanctum verbi tui manens & crescens in corde meo faciat fructum bonum , si non centesimum aut trigesimum , saltem beneplacitum tibi :

Evacula plenè & integrè animam meam à dilectione mundi & eorum quæ in mundo sunt , cùm in illo qui diligit mundum charitas tua non sit .

Illa sola charitas intellectum illuminet , illa sola cor accendat , ut mandata sancta tua & quæcunque sunt placita coram te , hæc sola faciam semper . Amen .



C A P U T X.

Secundum multitudinem dolorum ipsorum,
consolationes tuæ, Domine, lætificant
animas Sanctorum tuorum.

1. **Q**ui vult in spiritualibus exercitiis proficere,
& ascensiones disponere in corde suo, ut de vir-
tute proficiat in virtutem ad videndum Deum
Deorum in Sion, debet per vilitatem & humili-
tatem, per asperitatem corporalis abstinentiæ, &
laboris assiduitatem ascendere :

Debet & gloriam mundi respuere, viriliter cor-
pus castigare, & quod mundo & carni subtrahit
studio pietatis impendere :

Debet simul fastum & pompam seculi fugere,
& mollia rejicere : nugas & vanitates mundanæ
gloriae contemnere, & carnis illecebras superare :
favorem & plausum humani diei calcare, & fortis
esse tam in non parcendo corpori, quam in tole-
rantia cujuscunque molestiæ corporalis superven-
ientis.

Oportet siquidem utrumque toto corde am-
plecti, calcare mundum, carnem domare, volup-
tates corporis declinare, & cavere seculi vanitatem.

2. Hæ sunt abominationes Ægyptiorum, quas

per desertum cordis nostri & convallem plorationis tendentes ad promissam terram manantem lacte & melle , immolare debemus.

Vanitas & voluptas elationem cordis æqualiter fovent : his opponamus sobrietatem & humilitatis justitiam , pietatem promoventes.

Dura videntur hæc : durus est hic sermo iis qui crucem Christi abhorrent , qui ambulant in viis Balaam , in concupiscentia oculorum & carnis , & superbia vitæ , quæ omnia ex mundo sunt , non ex Patre.

Sed qui Christum Duce sequitur , qui dirâ morte mulctatum , cruce sceleratorum turpatum assiduè meditatur , is nec gloriam , nec delicias mundi prorsùs poterit sustinere , nedum audebit quærere.

3. Ecquis Christianus non erubescet carnis voluptatibus indulgere sub Duce & Domino flagellato , persuso sudore sanguineo , spinis frontem transfixo , clavis pedes & manus perfosso , immuniter totum corpus suspenso , & usque post mortem lanceâ latus perforato ?

Ecquis erit Discipulus qui florere in seculo ; etiamnum concupiscere poterit absque rubore , sub Rege & Magistro sputis illito , veste irrisoria induito , cum sceptro arundineo & spinea corona ludibrio Militum dato , propriam sibi crucem baulante , latronibus in tormentis annumerato , tur-

piter nudato & distento in patibulo , ibiquè inter cruciatus exprobrato & subsannato ?

Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis , vanitatibus & concupiscentiis .

Qui se dicit in Christo manere , debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare .

4. Qui vult venire post me (hæc sunt verba Magistri) abneget semetipsum , & tollat crucem suam .

Crucem tollere est laborem & humilitatem amplecti : in cruce vitæ asperitas & vilitas , in cruce superbitæ & voluptatis destructio statuuntur .

Quis post hæc non eligat abjectus esse in domo Dei , in abscondito faciei Domini Jesu , magis quam gloriosus habitare in tabernaculis peccatorum ?

Quis Christianus non ardebit mortificare membra sua quæ sunt super terram ? vel quis verè pœnitens , quæ fuerunt arma iniquitatis peccato , & vasa immunditiæ mundo & carni , hæc arma justitiæ Deo exhibere cunctabitur ?

Bonus Dux , cuius miserationes super omnia opera ejus , jussionum suarum venerationi , exemplorum robur & efficaciam dignatus est jungere & conglutinare . Quis vexilla sanguinolenta Regis Regum immolantis sese sequi detrectet , etiamnum si oporteat in medio ignis & æris ?

5. Nec , dum tantis hominem cumulat gratiis & beneficiis , hoc satis est charitati suæ , quin ,

mandatis & exemplis, præmiorum reprobationes superaddere etiamnum judicavit in immensa & ineffabili & incomprehensibili miserationis effusione.

Pro duplice afflictione, pro humilitate & labore, in loco exilii, in terra peregrinationis, duplex renumeratio præstabitur delectationis & sublimitatis in terra viventium & patria promissionis.

Qui transierunt per ignem & aquam, per tribulationes & humiliations edacentur in refrigerium.

Qui parentem ad modicum vaporem præsentis gloriae dignantes improprium Christi prætulerunt universis titulis dignitatum, cum Christus apparuerit vita illorum, & ipsi apparebunt cum illo in gloria.

Qui cum illo in ignominia & contumeliis probati, & in opprobriis & tormentis interrogati, visi sunt oculis insipientium mori & annihilari, cum illo exaltabuntur in regeneratione futura.

Qui judicati & condemnati sunt, illusi & despici propter Christum, quorum & vita insanior reputata est, illorum pusillus grec in regeneratione regnum obtinebit quod Patri coimplacuit illis reservare.

Qui cum Jesu vivere, mori & sepeliri omne gaudium existimaverunt in terra & generatione ista prava & perversa, in regeneratione, cum sedebunt Filius hominis, sedebunt & ipsi judicantes &

filios hominum , & Angelos tenebrarum superbiæ signa secutos illius qui ascendens ponere voluit thronum suum ad latera aquilonis , qui gloriam quærere à se , & eam quæ à Deo erat solam veram gloriam respuere præsumpsit Rex omnium superborum.

6. Quis honorum terrenorum fulgor non transmutetur in sumum , si tantæ comparetur sublimitati ? quæ tanta apud terrigenas gloria non vilescat præ tam ineffabili exaltatione Sanctorum ?

Sic seminatum corpus animale in terra de qua sumptum fuit , surget spirituale : seminatum in ignomia , surget in gloria : per eum qui mortem moriendo dextruxit , mors ultrà non dominabitur exultanti novo corpori & triumphanti.

Sed & cum morte abscedet & dolor & gemitus absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum suorum , & jam non erit amplius neque luctus , neque clamor , sed neque ullus labor , quia priora transierunt.

Felices oculi qui in fletibus pœnitentiæ & compunctionis liquefieri elegerunt magis quam elevari in superbia , & omne sublime videre !

Beati oculi quorum pias lacrymas benigna manus conditoris absterget ! Beati quorum corpora in regeneratione justorum geminâ immortalitatis & impassibilitatis felicitate dotabuntur !

Beata corpora quæ configurata claritati corporis

Christi , coaptabuntur ædificiis sanctis novæ Jerusalem , gloriæ plena , æternum aliena & immunia ab omnibus concupiscentiæ motibus , ab omni corruptione secura , libera ab omni necessitate !

7. Jerusalem civitas Dei , beati & benedicti qui ædificaverint te ; qui congregabuntur in te & gaudebunt super pace tua ; qui videbunt claritatem tuam , contemplabuntur portas tuas , lapides preciosos murorum tuorum , lapides candidos & mundos platearum tuarum ; & qui æternam laudum vocem & benedictionum Dei & Agni auscultabunt & decantabunt !

Tunc justorum animæ sicut nihil metuent , sic nec ultrà cupient :

Tunc erit frui plena beatitudine , & secura plenitudine :

Tunc æterna incommutabilitati immersa plenè adhærebit Deo felix anima , & unus spiritus fiet cum eo :

Nec erit amplius ullos sentire terrenarum affectionum motus , ullis cogitationum fluctibus turbari , ullos temptationum & passionum conflictus experiri .

8. O quandò & quibus aderunt hæc ? Aderunt , & in proximo est ut adsint. Ecce venio citò , ait Dominus ; ecce venio tanquam fur quâ horâ non putabitur .

Et etsi de die quidem nesciamus , de hora igno-

remus, plenè lateat quandò? sed jam novimus quibus.

Aderunt his qui semetipsos abnegantes, illum qui pauper fuit & in laboribus à juventute sua, illum cuius vultus per triginta annos sub forma fabri & fabri filii absconditus fuit & despectus, secuti fuerint in via laboris & humilitatis.

Aderunt his qui vexillum Domini omnibus prætulerunt, qui Christo & cruci ejus confixi vixerunt, qui vocati ad onus & jugum suum, amantissimum & levissimum onus suscepserunt & portaverunt, caput & collum suum suavissimo pago submiserunt.

Et tunc quicunque strictam viam perseveranter tenuerit, quicunque constanter & ardenter in via crucis incesserit, verè dicere poterit cum Propheta:

Ostendisti mihi, Domine, tribulationes multas & malas, & calicem propinasti passionis, sed nunc conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me, ut videam templum tuum, & gaudeam in lætitia gentis sanctæ tuæ.

Hæc est expectatio animarum sanctorum in *transitu* primo; sed & qui supereft *transitus* alter in resurrectione & corporum glorificatione, ecce non longè est: mox, mox aderit dies plenæ & perfectæ retributionis.

Mille anni ante oculos Dei, velut dies hesterna quæ præteriit,

Fluunt & defluunt secula ante æternum Deum
velut nives quæ à calore solvuntur: absorbetur
temporum mensura quantalibet in seculorum æter-
norum immensitate.

Cœlum & terra transibunt, verba autem Dei
non præteribunt.

CAPUT XI.

In hoc vocati sumus, quia & Christus passus
est pro nobis, nobis relinquens exemplum,
ut sequamur vestigia ejus.

VANA dimitte, appete veritatem: scientias
hominum æstimabiles reputa ut potè primi fontis,
æterni & immensi luminis rivulos: scientiam sa-
lutis solam magnifacias.

Deus scientiarum Dominus est, qui docebit te
recta videre, apprehendere & gustare.

Beatus qui audivit verbum ejus, quia super senes
intelliget & Jerusalem & Babylonis!

Munda cor tuum, & audies verba vitæ, & ape-
rientur oculi tui.

2. Primum & ultimum documentum, novitio-
rum & veteranorum, exercitium tritum, simul &
sublime rudimentum scire pati & silere.

In patientia vestra possidebitis animas vestras;

hæc est scientiæ janua simul & apex , artis elemen-
tum primum simul & consummatio.

Non sufficit Jesum confiteri Christum Filium
Dei ex luce Patris revelantis , qui in cœlis est :

Sciendum hoc insuper quia oportet Christum
pati , & reprobari , & tradi ad illudendum & fla-
gellandum & crucifigendum.

Qui baptismum Joannis solum noverat adhuc
natus ex carne nondum renatus ex Spiritu scientiam
hanc verè spiritualem & cœlestem nondum attige-
rat Apostolorum Princeps , cum terreno & mun-
dano ductus affectu Dominum cuius servitio se
mancipaverat ab hac sancta via reppellere cona-
batur.

Absit hoc à te ut ascendas Jerusalem ad id ut
condemneris à senioribus & Pontificibus , tradaris
Gentibus & occidaris : non erit tibi hoc.

3. Hoc bonum mundi & carnis quod Domino
suo prætendit rudis adhuc scientiarum Dei Disci-
pulus Jesu , quæm altè , quæm promptè confutatur
à Magistro ! Disce scientiam Dei , disce verum bo-
num , disce sapere & verè sapere secundùm Deum .

Sapis , sed non ea quæ Dei sunt sapis , Simon ,
adhuc fapis ea quæ hominum : audi & disce fa-
pientiam meam , tu quem primum pono inter
Discipulos meos , & dedisce mundi & carnis phi-
losophiam , ait Dominus .

Audi cœli & Spiritū sapientiam in terris so-

nantem : Qui vult venire post me , abneget semet ipsum , tollat crucem suam quotidiè , & sequatur me .

Et tu viam hanc modò nondum nosti , nec potes me modò sequi , sequeris autem posteà .

4. Pati ergo & mori , abnegare & crucifigere se , hæc est scientia Christi .

Omnia quæcunque audivi à Patre meo , nota feci vobis : nolite mirari si odit vos mundus ; scitote quoniam me priorem vobis odio habuit .

Væ vobis qui habetis in hoc mundo consolacionem vestram !.... væ qui ridetis !....

Et vos amici mei quos elegi & in finem diligo , plorabitis & flebitis mundo gaudente : in mundo pressuram habebitis ; sed confidite , vincetis per me , & sicut ego vici mundum .

Vincetis , non pugnando , sed patiendo ; non resistendo , sed moriendo ; non ignem invocando de cœlo , sicut voluerunt duo fratres Boanerges nondum baptizati in Spiritu , sed orando & supplicando pro repellentibus , calumniantibus & persecutentibus vos .

Nostris cuius spiritūs oportet vos esse , & cuius spiritūs sit qui dixit vobis : Discite à me quia mitis sum & humilis corde , qui calamum quassatam non confregi , nec linum fumigans extinxi .

5. A verib⁹ ejus edocti sumus hoc summum cœlestis & spiritualis praxeos documentum silere & pati .

Sed ab exemplis ejus fortius habemus confirmatum: quid in vita ejus abscondita paupere laboriosa? quid in *transitu* evangelizantis regnum Dei? quid in ultimo *transitu* de hoc mundo ad Patrem inspicimus in Domino Jesu?

Exemplum dedi vobis, ait, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

Ubique & semper & incessanter pati & tribulari & premi, hoc unum residuum vitae ejus est.

Mortificatus tota die, quotidiè offerens iuge sacrificium suum, & ad consummationem ejus anhelans, summum hoc doctrinæ sanctæ, sapientiæ veræ, scientiæ salutis edocuit Discipulos suos, scire pati, pati cum ipso, pro ipso, & prout ipse passus est.

6. Hanc, Jesum meditando, contemplando, invocando, scientiam inquire, ô anima mea!

Hæc est quæ melius quam omnes humanæ doctrinæ, quotidiè illuminare poterit gressus tuos, & perficere eos in via Domini:

Hæc est quæ incipientem accedit, proficientem custodit & tutat, & perfectum consummat.

Si enim oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, nec Discipulos decet & æquum est absque tribulationibus multis intrare in regnum Dei.

7. Exudent, ergo, Domine, non sicut ego volo, sed juxta beneplacitam voluntatem tuam,

& irruant aquæ tribulationum, flent venti & veniant flumina; humiliationum & contradictionum altius cordi infigantur pungentes aculei; modò adsis qui præcis crucem tollens.

Adesto, Domine, & sat est: adesto, ô qui juxta es eis qui tribulato sunt corde, ô qui Discipulum tuum contribulatum confirmas, ô qui cum ipso esse dignaris in tribulatiōne, qui eripis & glorificas!

Ostende mihi in hac via tua salutare tuum; fac me quò vis, quandò vis, & sicut vis, ire & flere; fac ut his manipulis pleni dies inveniantur in me; & secundùm beneplacitum tuum, etsi natura tabescat & recuset, talium dierum longitudine reple servum tuum. Amen.



CAPUT XII.

Cum contritis & humilibus fermocinatio ejus.

I. BEATA anima quam Dominus invisere solet: cui contemptus omnium & abnegatio suī otium sanctum faciunt sedenti secus pedes ejus:

Cui gustus sanctam famem & consuetudo amicæ visitationis ausum adauget!

Siquidem anima sancta varias vicissitudines eun-

tis & redeuntis Sponsi patitur semper in hoc exilio loco : nec ulla est tam altè in contemplatione proiecta , quæ non experiatur quandoque gravitates & inquietudines , & tenebras & anxietates , & perturbationes & desolationes .

Sed non longè est Dominus dum videtur abesse , imò & cum anima tristi & afflcta sæpè sibi complacet peregrinari .

Tristi Cleophae & alio illi Discipulo aderat docens & aperiens scripturas , ignem sanctum accendebat in ipsorum cordibus vivens & comitans , qui putabatur amissus & plorabatur .

Et ad hoc solum simulavit se longius ire ut cogeretur & audiret dicentes : Mane nobiscum quoniā advesperacit .

2. Discipulis navigantibus & præ vento contrario laborantibus in medio noctis apparuit quasi volens præterire eos , ut probaret fidem eorum & eliceret precem .

Absentem Sponsum revocat Sponsa in cantico suspirans & dicens : Revertere , dilecte mi , revertere citissimo gradu hinnuli capreæque cervorum .

Et tu abeuntem revoca in suspiriis amoris tui :

Prætereuntem tene :

Fingentem se aliud & aliorsum ire retine , & ne sinas abire incœnatum .

Ipse enim est qui stat & pulsat ad ostium : si aperueris cor tuum , & ei coenam paraveris intra

te, ibi desideranter tecum cœnabit & tu cum illo,
& agnosces illum in fractione panis, in infusione
verbi sancti.

Experieris verbum vivum & efficax: experge-
faciet vivus ille sermo penetrabilior omni gladio
ancipiendi dormitantem animam tuam; auferet à te
cor durum lapideum & malè sanum, & dabit cor
novum & spiritum novum.

3. Ad Iucem vultus ejus fient prava in directa,
& aspera in vias planas, & omnia intra te benedi-
cent nomini sancto ejus.

Ex horrore vitiorum intelliges præsentiam ejus:

Ex compressione terrenorum affectuum, poten-
tiam virtutis ejus :

Ex discussione & redargutione occultorum tuo-
rum, profunditatem sapientiæ ejus :

Ex emendatione quantulacunque experieris bo-
nitatem mansuetudinis ejus :

Ex reformatione spiritus mentis tuæ, & renova-
tione interioris hominis percipies speciem decoris
ejus.

Senties plenum gratiæ & veritatis: veritas evel-
let & destruet: gratia ædificabit & plantabit:

Veritas tenebrosa illuminabit, clausa reserabit:
gratia rigabit arida, frigida inflammabit:

Veritas ibi dicet tibi quid oporteat facere: gratia
dabit & velle facere:

Veritatis severitatem temperabit gratiæ suavitas:

gratiæ exultationem compescet veritatis gravitas,
ut exultes in tremore, & servias in timore.

4. Cave à vana complacentia tui: in Deo sit
omnis gloria tua & beneplacitum tuum.

Perdidit & in cœlo sapientiam Angelus in de-
core suo.

Noli decorem gratiæ tuum æstimare: noli re-
quiescere in decore privato & proprio: proprietas
ex mendacio est: abnegatio & gratiæ in Deum
retributio ex veritate.

Nihil retine, nihil cum Anania & Saphira
absconde, totum refunde: exemplo Virginis sanctæ
magnifica solum Deum, qui respicit vilitatem &
abjectionem & miseriam tuam.

Perditum crede quidquid tibi habes: hoc solum
benè repositum scito quod habes apud Deum.

Adveniens Dominus in adventu majestatis, non
reformabit corpus humilitatis nostræ, & configu-
rabit corpori claritatis suæ, nisi priùs cor fuerit
reformatum & configuratum cordi suo in adventu
humilitatis.

5. Humilitas Jesu, humilitas cordis est: humili-
tas altera cognitionis & intellectus est, altera
affectionis & cordis.

Priore cognoscimus quod nihil sumus: hanc
discimus à Deo quidem, ab eo enim omne donum,
sed propriâ infirmitate frequenter illam experimur:

Posteriore gloriam mundi calcamus, & hanc pro-

priori modo discimus ab illo qui exinanivit semet-ipsum formam servi accipiens.

Hæc est quam proposuit Dominus Jesus Discipulis suis, velut specialiter doctrinam suam:

Discite à me quia mitis sum & humilis corde.

O quis verè recolit humilitatem hanc cordis? quis fecit, imò quis novit humilitatis amorem?

Quis toto affectu diligit sanctam illam evangelicam parvitatem in qua Dominus Jesus ipse parvulus esse prælegit, non tantum minoratus ab Angelis, sed à concivibus & fratribus, dum esset inter eos sicut qui ministrat?

O quis amplectitur viam hanc quæ sola tamen ad vitam dicit? Nisi enim efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum, ait Dominus Discipulis suis, dum quærerent quis major foret in regno illo.

6. Majoritatem quærebant & affectabant: hanc ipsam deponere simul cum omni spe terrena magnitudinis edocti sunt, & minoritatem appetere: Qui vult inter vos major esse, fiat sicut minor.

Utique qui Jesum diligit, minorationem illam sanctam, beatam evangelicam parvitatem diligere novit: siquidem quo modo Magistro humili corde & affectu devotus esse glorietur, qui humilitati nondum cœpit vovere cor suum?

Qui Jesum diligit, humili corde post Dominum suum bajulat crucem suam, humiliiter collum suum subjicit jugo sancto suo.

Et ipse Dominus Jesus, vere Jesus, quia populum suum salvum faciet à peccatis eorum, quem populum habet suum?

Audi Psalmistam: Populum humilem salvum faciet. Et alibi è contrà: Oculos superborum humiliabit.

Quæ corda salvat in adventu primo humiliis corde Salvator, nisi corda humilium?

Nolite timere, pusillus gressus: complacuit Deo dare vobis regnum.


Quæ corpora salva faciet in adventu secundo, nisi corpora humilitatis, ut ait Apostolus?

7. Rursus cui populo consolationem futuræ salutis ante promisit Dominus per Prophetam, quandò ait: Consolamini, consolamini, popule meus? Et cui populo posteà evangelizatur consolatione illa prædicta?

Utiquè populo suo; sed quis ille suus populus? nunquid magnates? nunquid divites terræ qui in labore hominum non sunt? quos tenet superbia?

Absit; sed, juxta quod ait idem Psaltes, tibi derelictus est pauper. Consolatio, evangelium consolationis, evangelium gaudii magni, mittitur humilibus, pauperibus, rusticis pastoribus, pannosis, à mundo spretis & pro nihilo reputatis, sed vigilantibus, custodientibus custodias noctis, & in labore hominum constitutis.

Absit ergo gloriari, nisi in omnis terrenæ gloriae immolatione,



CAPUT XIII.

Veni in terram quam monstravero tibi.

I. FELIX qui dictum illud audivit à Domino: Ero custos tuus quoquā perrexeris, & reducam te in terra promissionis, nec dimittam, nisi complevero universa quæ dixi!

At ille vir erat secundūm cor Dei, simplex yaldè, qui votum vovens Domino, non seculi pompas & fastus, non opes & divitias quærit & postulat, sed hoc tantūm quod homini sufficit, ut custodiat illum Dominus in via sua, detque ei panem ad vescendum & vestimentum ad induendum.

Diligit Dominus animam simplicem & ardentem.

Sæpè in via hac quandò spiritus qui ubi vult spirat, spirare incipit, nescimus undè venit aut quò vadat.

Nova immittit in cordibus nostris, desideria nusquam priùs sensibus nota: deducti nescimus quò ferimur.

Omnium saporem tollit, nec adhuc suī saporem præbet: sentit anima quòd sibi non benè sit, & cupit solum melius esse, quietius & securius.

Hæc initia in patientia & humilitate portanda sunt.

2. Verum ubi mansionem facit Spiritus, semetipsam per lucem serenissimam manifestat & saporem dulcissimum.

Cognoscetis eum, ait Dominus, quia apud vos manebit & in vobis erit.

Tunc tamen mox sœpè in obscuritates & novas tenebras transimus, & in profundum mergimur, nec clarè innotescit quid petatur à nobis.

Et sic interior & spiritualis vita transit inter lucem & caliginem, obscuritates & claritates, noctis tenebras & matutini jubar, cognitiones & ignorantias, desolationes & consolations, donec aspiret dies & inclinentur umbræ, & Spiritus dicat, veni :

Donec expectata veniat dies phase, dies *transitus*, in qua statuit Dominus ut secum Minister & servus suus sit, & amodò requiescat in sinu dilectionis suæ à laboribus ærumnosæ peregrinationis & probationis.

3. Sed quis ego ut tam sublimia loquar?.... Recumbe, anima peccatrix & vilis, in novissimo loco..... O quæso hoc unum, Domine, liceat postulare ut sis mecum in via ista per quam ambulo, & custodias me! Da mihi panem quo valeam sustentari, & vestimentum quo operiar: hoc sufficit peregrinanti:

Panem de cœlo verum quem Moyses non dat, sed tu: vestimentum duplex: dupliciti spiritu, ut

olim Eliæ Discipulum in typis & figuris Scripturarum , animam meam fulciens , veritate & charitate.

Esto mecum , ne derelinquas me , Jesu Salvator meus , ne discesseris à me.

Esto semper præsens refugium meum in deserto isto horribili , ut aspiciens in te pendentem in cruce , & sacrificium tuum consummantem , secundum faciam *transitum* meum inter mundi hujus immensa pericula.

O semper adesto in loco isto arido & inaquoso ; in quo undique sibilat serpens flatu adurens , & scorpio ac dipsas !

4. O Domine , sanator sancte meus ! tolle à me hunc omnem animi languorem , quem utiliter posueras super me quandò in Ægypto mundana commorabar ; & pro eo concede animi alacritatem & gaudium sanctum in modestia & hilari comitate charitatis non fictæ.

Sicut per immissionem ligni quod osteris fuit Moysi , in dulcorem versæ sunt aquæ deserti , ita & melius per infusionem ligni salutiferæ crucis , fac mihi dulcescant quæcunque amariores undæ terrenarum tribulationum.

Memorare , Domine Deus , illius clementiæ quâ novi hominis deprecationem suscepisti , & in holocausto veri Regeneratoris hominum odoratus es odorem suavitatis , & placatus exaudisti vocem ejus pro sua reverentia.

Parce mihi , parce & omnibus fratribus meis ; obsecro , Domine , ut obliviscaris scelera & peccata fratrum , quibus tam sæpè , tandiù scandalum egomet fui in Ecclesia sancta tua.

Parce & illis & mihi misero , non in illa nostra fraternitate , sed in illa supergloriosa quam tecum habemus ex ineffabili incarnatione tua.

O Jesu , filii Dei altissimi , qui frater noster dignatus es fieri , & caro nostra es ! obliviscere peccati fratrum tuorum , atque malitiæ quam exercuerunt in te multò pejoris super malitiam fratrum Joseph , & dimitte iniquitates nostras omnes .

Malum omne quod cogitavimus contra te , sicut olim quod excogitaverunt contra Joseph invidi fratres & malevoli , per omnipotentiam misericordiae obsecro ut vertas illud in bonum .

Obsecro ut scelera nostra conterens , illa omnia convertas in cordibus nostris in fermentum incessabilis compunctionis , & perennem fletuum & gemituum fontem .

5. O Domine Deus ! ne disperdas populum tuum , & hæreditatem tuam quam redemisti in magnificencia tantæ charitatis ; & ne respicias durtitiam nostram , impietatem atque peccatum .

Memorare quia sensus & cogitatio humani cor-dis in malum prona sunt ab adolescentia sua , quia homo spiritus est vadens & non rediens .

Miserere qui cognovisti figmentum nostrum ,

qui scis quia pulvis sumus, quia homo sicut fœnum
dies ejus, quia tanquam flos agri sic efflorescit &
cito marcescat, quia sicut flos egreditur & conte-
ritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eo-
dem statu permanet.


Suscipe nos revertentes ad te in misericordia
tua quæ est ab æterno & usque in æternum.


Parce creaturæ tuæ, à tempore & usque ad
tempus breviter transeunti in terra ista probationis.

Et post umbram vitæ fugacis, æternitas & im-
mensitas miserationum tuarum temporaneitatem
miseriæ nostræ in finem clementer absorbeat.

Amen.

Explicit Liber secundus de Transitu.





TRANSITUS

*Animæ revertentis ad jugum sanctum
CHRISTI JESU.*

LIBER TERTIUS.

*Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est
ex spiritu spiritus est. IOANN.*

CAPUT I.

Corporalis exercitatio.

Vox Magistri vitæ spiritualis:

DISCE corporalem exercitationem quæ per se ad modicum valet, sale pietatis, quæ ad omnia utilis est, condire in Spiritu sancto:

Disce scientiam Dei, scientiam salutis, scientiam Sanctorum; nisi enim Dominus illuminare dignetur initia viarum tuarum, citò offendent pedes tui & vel in primis gressibus tuis.

Deprecare benignissimum Jesum ut aperiantur oculi tui ad fulgorem lucis novæ: si quæris ex corde juxta voluntatem sanctam suam vivere, ipse diriget servulum suum, ipse quæ ad exterioris hominis cultum pertinent primùm ordinare docebít.

Audiet vocem homuncionis , & cum illo sermocinari, etsi sit pulvis & cinis, non dedignabitur qui pulverem hunc non horruit assumere factus homo.

Cum simplicibus sermocinatio ejus & cum trementibus sermones suos : incedere stude in via simplicitatis : audi , attende , & fac quæ sunt ei placita semper.

2. Omnia habes in exemplis & verbis sanctis ejus : his conformem , certam & perseverantem normam , sub qualicunque morum institutione , sibi statuerunt omnes servi Dei , seu sublimis , seu mediis , seu infimi fuerint gradus , sive altius , sive humilius inter homines nomen conscripserint suum.

Status enim omnes , & conditiones , & ætates , & sexus , & vires ad tyrocinium suum admittit philosophia Christi , dummodò adsit voluntas , imò & ipsam ut adsit præparat & disponit.

Illa dirigit doctum & rusticum , divitem & mendicum , nobilem & ignobilem , quia ab eo est qui fecit utrosque.

In illa non est personarum acceptio , nec hujus auctor quemquam despicit hominum quos creavit :

In charitate digna fonte suo fundata est philosophia illa sancta : catholica est , facta in justitia & æquitate , quia à veritate procedit.

Nec pastorum & agricolarum rusticitatem vel ignorantiam despicit , nec nobilium & opulento-

rum cultum exquisitorem, scientiam, vel ingenia præfert.

Dona sunt hæc & talenta ideò data, ut quisque operetur in eis, & ut singuli de singulis juxta mensuram suam, rationem quondam districtè redditant de proventu.

3. Attende tibi, ô qui desideras ingredi vias ejus! disce primùm omnia tua honestè & secundùm ordinem facere:

Disce circa victum & vestitum, somnum & cibum, laborem & quietem, circumcidere quæ sunt pretiosa & superflua.

Facilem victum & simplicem vestitum in labore suo dedit homini Deus:

Concessit illi necessariis uti, sed hæc mandans ut intra congruae sufficientiae terminos circumscriberentur cum discretione.

Respectum tamen dignitatis & potestatis noluit non haberi; siquidem terrena potestas à Deo est, & splendor congruus potestati Dei ordinatione perseverat.

4. Non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.

Verum qui ambulat in dilectione Domini, scit abundare absque tumore, superbia & abusu: scit & patienter, libenter, & gaudenter penuriam pati.

Qua nocte paravit dives horrea ampliora,

repetunt animam ejus ; divitiae ergo si affluant, noli cor apponere.

Cui multum datum est , multum petetur ab eo ; & difficilior & periculosior erit rationis redditio de fructibus & redditibus in villicatione majori.

Felix apud quem nec quantitas concessorum laedere potest utentis cum gratiarum actione conscientiam :

Nec amputata tentant aliquatenus corporis bene morigerati & recte educati sufficientiam !

5. Sanitas est animae & corporis sobrius potus : vini, quod in jucunditatem creatum est, quodque moderatè potatum exultatio animae & corporis est, usus modicus permultis necessarius est propter stomachum.

Si uteris , utere cum gratiarum actione ; si abstines , abstine in jejunio vero , voluntatis tuae assiduâ immolatione.

Sic venit Dei Filius , factus Filius hominis , manducans & bibens : sic ante ipsum Angelus præcursor ejus visus fuerat nec manducans nec bibens.

Sufficiens est homini eruditio vinum exiguum : in dormiendo non laborat homo parcus à cibo & à vino , nec ab iis dolorem sentit vel laborem.

Vigilia acerba , & cholera , & tortura viro infrunito.

6. In ciborum apparatu fuge adulterina condi-

menta. Si solus es , sufficiat tibi cibos comedibiles esse: memorare quis dixerit quia *unum est necessarium* & sufficit. Aliis exquisitora & charitate & reverentia apponi possunt & numerosiora , secundo tamen simplicitatem , & vanas superfluitates resecando.

Quia concupiscibilibus & delectabilibus ferculis onustae sunt mensæ divitum, videoas illos effundere super omnem cibum animas suas.

Qui abstinentis est adjicit vitam : in multis escis erit infirmitas , & aviditas adducet cholera.

Et si delectatio illa quæ ad finem explendæ necessitatis est , accipiat irritamenta , crescat concupiscentiæ fomes , & periclitabitur corporis & animæ castitas.

Igitur sive manduces , sive bibas , omnia in conspectu Dei , sanctè , piè & religiosè.

Mensæ sobriæ sobrius insuper in comedendo modus novum decorem adjiciat : nec ipsa necessitas carnaliter expleatur , sed ut decet servum Christi , Discipulum Domini.

Et in hoc attendenda corporis sanitas quod animæ tuæ socium dedit Deus , ut incolume servaretur ; quanto honestius & ordinatus sumetur cibus & ingeretur , tanto facilius digeretur & salubrius absumetur.

Præfige tempus cibi sumendi , ut ne ante vel extra quid capias , nisi ex causa necessitatis vel ex officio charitatis.

7. Sobrium cibum sequitur sobrius somnus : somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque manè , & anima illius cum illo delectabitur.

Hujus nox sicut dies illuminatur quandoque ; vigilia ejus vigilia honestatis quæ tabefacit carnem & concupiscentiam domat.

Agnosce nihil temporis tam deperire de vita tua, quām quod somno deputatur :

Somnus tuus requies sit lassi , non sepultura corporis suffocati : reparatio , non extinctio spiritūs.

Suspecta res est somnus & ex parte ebrietati similis : iturus ergo ad somnum hymnos & psalmos meditare , ut in his placidè obdormias , ut in his somniare juvet , & vigilantem te excipient.

Somnus carnalis , brutus & lethæus abominandus est servo Christi.

Spiritualis homo post congruam quietem sensus mentis & corporis evocat facile , velut bonus paterfamilias qui servos suos ad opera necessaria suscitat & emittit.

8. Omnem vitam tuam etiam hominibus occultam exhibe vultui Domini sanctam & honestam , & omnis conversatio tua , quamvis inter domesticos parietes inclusa , ipsi conspicibilis fiat : esto semper mundus & humilis : esto dignus consortio Angelorum , qui missi in salutis ministerium invisibles coadjutores tui sunt in via spirituali.

Grata Deo res est honesta : digna res amicq;

spirituum sanctorum consortio: omnia tua honestè fiant.

Otia mentis, otia corporis super omnia fuge: hæc enim vitiorum omnium fontes sunt semper scaturientes.

Pro otio vitando, otiosa sectantur mundani, ludentes ad fallendum tardantis diei tedium.

Christi Discipulo dies nunquam sat longa videbitur, si dum satagit circa exercitia vel officia vel negotia debita, summum & unum negotium necessarium constanter inquirat.

Hujus dies pleni sunt, & in brevi explet tempora multa, qui præter orationes & lectiones, & frequentes conscientiæ discussiones, morum compositioni & emendationi partem diei non negat; quique dum vocat Jesum Magistrum suum & Dominum, laborem etiam manuum in aliquo brevi saltem exercitio, pro ejus amore & imitatione non deditigatur.

9. Si potes, affige uni loco corpus tuum: sed si charitas vel officium trahit & disturbat hominem qui extra est, interior homo qui fideliter fixit in uno animum suum quocumque in loco idem sit.

Memor peregrinationem esse vitam tuam, attende ubique sub Christi jugo vivere, sub illo auxilium quærere, in illo requiem haurire; & etsi caro concupiscat, concupiscenda seculum ingerat, Diabolus mentem disturbet, igneis telis carnem

accendat, ita sub vexillo Christi, sub jugo sancto,
& ibi statue tibi umbraculum ab æstu, turrem
fortitudinis à turbine, protectionem salutis à scan-
dalibus operantium iniquitatem.

Corpori quod credis in consummationis die
surrecturum in incorruptione & æternæ gloriæ
speras participaturum in civitate sancta, da &
participationem laboriosi pœnitentiæ baptismi in
tempore, sicut & partem habet in consolationis
expectatione.

Doceantur sensus tui conformari spiritui: hu-
milientur & subigantur, ne lascivire eis vacet.

In manibus sanctis Christi Jesu grossiores labores
sanctificati sunt; & ipsi quandoque ad profectum
juvabunt te: in majori contritione corporis, auge-
bitur contritio & humiliatio spiritus.

10. Sed & in levioribus & gravioribus exerci-
tiis ita rege animum tuum, ut minus quod agis
præ oculis habeas, quam quo agendo intendas.

Animus tuus nunquam dissolvatur, sed in seipso
magis per laborem colligatur.

Et, si ad horam quandoque remittitur utiliter,
vigila ne unquam resolvatur omnino.

Remissio illa animi studiis spiritualibus delecta-
tionem conservat & nutrit.

Si rectâ intentione servaveris disciplinam hujus
discretæ remissionis & relaxationis, quando redibis
ad spiritualia & interiora, expedes te facile ab ex-

terioribus sine controversia inhibentis voluntatis,
& absque contagione contractæ delectationis vel
memoriae imaginantis.

Sensus sub disciplina coge: cui deest proficiendi
voluntas bona, huic soli hoc durum videbitur.

11. Si spiritualis homo factus, vel fieri firmiter
volens ex corde, sic ad Jesum converteris te, re-
cuperabis etiam in natura per gratiam reparata
pro modo timoris & amoris tui felicem quodam-
modo rectitudinem primæ conditionis.

Et dum spiritus reformabitur ad imaginem
Christi, resflorescat & caro tua, & ex voluntate
nova incipiet conformari reformato spiritui.

Ad hoc venies ut etiam contra sensum, quid-
quid delectaverit spiritum delectet & sensus; &
eousquè ut ex pane furfureo & aqua simplici,
oleribus & leguminibus cibis per se parùm delecta-
bilis valdè delectabile tibi sit satisfacere necessi-
tati naturæ.

Conjice quænam fuit paupertas victus & ali-
moniae Jesu in Nazareth, & ex tunc morigeratus
fiet stomachus tuus.

Delectationes non perdes de via lata ad viam
strictam vitæ transiens, fili mi; sed mutabis, de
corpo ad animum, à sensibus ad conscientiam.

12. Pauperes ex pane solo & legumine crudo
delectabiliter naturæ satisfaciunt; & ipse pauper
à juventute, & inter pauperes & agricultores com-

putatus, ex escis pauperum nutritus fuit Jesus & delectatus est, & in hoc præelecto vitæ genere habuit pro deliciis esse cum filiis hominum.

Quid addam post summum exemplar, Danieli, Ananiæ, Misaeli & Azariæ data fuisse legumina ad vescendum, & aquam ad bibendum, juxta desideria sancta illorum, & post dies temptationis decem apparuisse vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio?

Quod de semine regio Principes & nobiliores pueri potuere sub lege Moysis, nunquid & tibi sub evangelica lege, ubi stimulo sancti amoris adjunctum habes exemplorum Christi ineffabile condimentum non videbitur delectabile? Exemplar inspice tibi monstratum in Nazareth, & non tædebit ex vietu facili secundum naturam vivere.

Quin & tunc si malè fani jam non obliterint mores, sanatâ naturâ mox experieris naturalibus naturam arridere; tunc auctori naturæ sanæ & sanatae eò abundantius gratias ages, misericordiæ & gratiæ æternum solum eò benedices ferventiū, quò propiùs & intimius tibi concedet intrare in sanctuarium suum: eò diliges fortius quò in his exterioribus quæ ad libitum sunt, pleniùs agnosces & gustabis quām facile & dulce sit venire post Jesum, quām suave sit jugum sanctum ejus, quām leve onus ejus.



CAPUT II.**Lux vera.***Vox Discipuli Christum invocantis.*

REVELA oculos meos, Domine :

Opus manuum tuarum ne despicias : loquere
cum servo tuo , etsi sit pulvis & cinis :

Viam justificationum tuarum instrue me , &
doce me delectari in via testimoniorum tuorum
sicut in omnibus divitiis.

Verba tua lucerna pedibus meis sunt , & lumen
semitis meis ; lucerna lucens in caliginoso , donec
dies elucescat & evanescat quod ex parte est ,
quod temporaneum est : donec nox & tenebræ
absorbeantur à luce : donec mors absorbeatur à
vita.

Da servo tuo cor docile , cor sapiens & intelli-
gens.

Colluctata est anima mea in investigatione scien-
tiarum ; sed tu solus , Domine , sapientiam das ,
& ex ore tuo prudentia & scientia.

Christus.

IN terris visus sum , & cum hominibus con-
versatus sum ; aperui os meum , & locutus sum ;

protuli tibi spiritum meum, & ostendi tibi verba mea: addidi & exempla mea.

Propera ergo, & compara tibi thesauros sine argento: collum tuum subjice jugo meo: fuscipiat anima tua disciplinam meam quæ corrigat te in finem.

Modicum laborabis, & invenies multam requiem.

Suscipe tremens & humilis sermones meos, ut spiritus meus requiescat super te.

Ambula simpliciter coram me semper inquirens faciem meam, simplex in malo, & prudens in bono.

Absconde mandata mea penes te, ut assiduè mediteris in eis; & sedens secus pedes meos, audi verbum meum: hæc est optima pars.

3. Recede de medio Babylonis: desere vias sapientiæ & prudentiæ mundi hujus: sapientibus illis & prudentibus abscondi me, & parvulis complacuit mihi revelare me.

Quære regnum meum, non cum observatione subtili, sed cum simplicitate multa, & videbis illud intra te.

Sapientia mea intrabit in cor tuum, & scientia mea sola, sola placebit animæ tuæ:

Et erueris in illa à via mala, ab homine qui perversa loquitur, ab iis qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas, quorum

viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum.

Qui etiamnum regnum Dei quærunt cum observatione, dum non jam intra illos est velut granum sinapi, sed longè latèque diffusum inspicitur, & lapillus ille in montem factus est.

4. Via mea lux & veritas: per me illuminatur cor, dirigitur spiritus, ædificatur conscientia; & lux illa crescit usque ad perfectam diem.

Via impiorum tenebrosa: per dogmata illorum obtenebratur cor, in incertitudinis pelago mergitur homo: evanescunt mores, ruente intimo conscientiæ fundamento.

Ausculta disciplinam meam: huic uni veritas testimonium perhibet.

Ipsa sibi testimonium præbet quia à Deo est, & ad Deum vadit.

Principium & finem unum & optimum per se contestatur quæ sola ædificat & sanctificat.

Manifestè mentitur iniqüitas sibi quæ negationem assertioni, tenebras luci, dubietatem fidei conatur substituere.

5. Cujus finis destrucción; qui appendit scientiam super nihilum; qui evertere tentat & gloriatur id omne quod est, manifestè convincitur undè hauserit aquas turbidas; à quo fonte non fulgorem sed fumum invehat, & quò tendat.

Non ad illuminandas, sed obtenebrandas mentes hominum, lactandos peccatores in desideriis

animæ suæ , & roborandos contra vermem qu; non moritur.

Manifestè erigit se adversùs eum qui est , & à quo homo est , & à quo edoctus est , qui impugnat omne quod est , & extollit se adversùs omnem veritatem.

Fili , qui voluerit voluntatem Patris mei ex corde facere , ille cognoscet divinum eloquium cœlestem doctrinam meam : ille agnoscet viam meam , & conservabit eam in timore & dilectione:

Nec erit incredulus verbo meo , verbo scripto in corde , renovato in lege per ministerium Angelorum , consecrato per me visibilem & passibilem factum.

6. Disciplina mea , scientia mea neminem illorum despicit quos creavi.

Sapientia mea & veritas mea apertè & foris prædicat , & in plateis dat vocem , & in capite turbarum & in foribus portarum verba profert , & instruit hominem ubiqù & semper , ut recedat à malo , & faciat bonum.

Lux mea illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum , & correptio mea per vocem conscientiæ loquens , ait incessanter :

Usquequò parvuli diligitis infantiam , & stulti ea quæ vobis sunt noxia cupitis ? usquequò imprudentes oditis scientiam , scientiam conscientiæ , quâ salubriter à malo revocamini ?

Sapientia mea sine acceptione vocat & revocat omnes filios Adam absque discrimine sexuum, aetatum & dignitatum, pauperes & divites, potentes & debiles, doctos & rusticos, simplices & argutos.

Et in hoc agnosce plenitudinem fontis scaturientis à Deo, plenitudinem charitatis immensæ.

Sic dilexi hominem quem feci inexterminabilem: sic quem ad imaginem & similitudinem meam feceram, multipliciter & mirabiliter attraxi misserans.

7. Vocati sunt omnes qui laborant & onerati sunt, omnibus oblatum est suavissimum jugum: omnibus in illo per humilitatem & mansuetudinem requies promissa præstabitur.

Non puerulos arceri à me sivi vel sinam, quin amanter revocavi & revocabo: leprosos non horruī nec horresco contrectare.

Sed & sicut cum peccatoribus panem manducare non recusavi, & peccatricem admisi ad pedes meos, ita & nunc præsto est cor meum ut suscipiat animas revertentes.

Omnis vocavi, omnes hæc tenus voco quotidianâ & incessabili voce, nocentes & innocentes, justos & peccatores, mundos & pollutos, sanos & infirmos, oves errantes quæ perierunt, & quæ in ovili firmiter expectant consolationem Israel.

Et cursu consummato, ecce & sto ad ostium

animatorum, & pulso; & si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

Vox Discipuli.

O QUAM dulcis spiritus tuus, Domine, erga filios Adam, quos & interno lumine conscientiae & rationis illuminas in ordine naturæ, quibus legis promulgationem exhibuisti in terrore ignis & flammæ, & quorum novissimis temporibus fieri dignatus es magister & socius!

O Christe! de plenitudine unctionis tuæ guttulam effunde super me, ut trahar post te & in odorem casiae & myrræ, in fragrantiam quæ est à vestimentis tuis, quæ dispergitur ab anima sancta, à carne immaculata humanitatis tuæ curram & comprehendar:

Gressus pedum tuorum signacula sint viarum mearum: inquirat ardenter, amanter osculetur anima mea vestigia sancta tua.

Documenta testimoniorum tuorum, Domine, non in doctis humanæ sapientiae verbis, non in sublimitate sermonis, sed in doctrina spiritus.

At quomodo percipiam ea quæ sunt spiritus Dei, qui sum carneus & animalis homo, qui cum in honore essem, jumentis insipientibus comparatus sum, & similis illis factus sum?

Adaperi aures præcordiorum meorum, Do-

in me: fac me transire de carne ad spiritum: fac ut per efficaciam donorum tuorum, infusionem unctionis tuae mutatus in virum alium, verè spiritualis efficiar.

Christus.

9. ATTENDE verba mea ut confirmeris in fide: sapientia mea, sapientia crucis, stultitia Gentibus, Judæis scandalum, non in persuasilibus terrenæ eloquentiæ verbis, sed in ostensione virtutis fundata est.

Attende virtutem operum meorum: opera mea, ipsa testimonium perhibent de me, opera quæ feci per me, opera quæ feci per Apostolos meos.

Facta sunt mira & nova in Judæa & Galilæa: Nunquam vidimus sic, aiebant Judæi stupentes in verbo virtutis.

Sed & stupenda nimis inter homines prodigia facta sunt, ex quo die effudi juxta Prophetarum prædictiones de Spiritu meo super filios hominum.

Indocti piscatores & rustici: homines sine litteris & idiotæ edocti sunt sensum Scripturarum sanctarum: apertus est ipsis fons omnis veritatis: novis linguis locuti sunt verbum meum cum fiducia: positum fuit in ore ipsorum quid dicerent & responderent; nec habuerunt inimici mei quod opponerent sapientiæ & spiritui qui loquebatur in eis.

Sed & simul induiti sunt virtute ex alto, & arun-

dines quassatæ factæ sunt in cedros : pusillus græx modò timidè dispersus & fugiens, percuesso pastore, mox nec timuit eos qui possunt occidere corpus, nec respexit in minas eorum.

Caput gregis modò pavidum & tremebundum ad interrogationem ancillulæ, jam loquens in lumine quod in aure audivit, & quod in abscondito vidi, prædicans super tecta, carceres risit & verbera, ivitque gaudens, quia dignum habuerunt illud pro nomine meo contumeliam pati.

10. Hos pauperes simplices & pauculos piscatores misi in mundum universum, velut agnos in medio luporum, & in verbo meo laxaverunt rete suum in capturam.

Et ecce in una sagena per piscatores paucos comprehensa est populorum omnium multitudo nimia :

In sagena pauperum simul divites & mendici, potentes & debiles, Reges & subditi : in sagena simpliciorum hominum Philosophi & agricolæ, docti & indocti, Sacerdotes & populi, nobiles & plebeii conclusi sunt.

Hæc infirmiora mundi elegi, ut confunderentur fortia : tales misi nuncios, ut non per hominem, vel ab homine statui crederetur evangelium, sed per virtutem & in virtute mittentis.

In virtute vocavi illos, & paruerunt ; & per virtutem dimiserunt omnia quæ habuerunt, pa-

trem & matrem, & uxorem, & fratres & sorores.

11. In virtute jussi ut abnegantes semetip̄os odirent animas suas in hoc mundo, ut in æternum servarent eas, offerens cruces ad bajulandum quotidie.

Et per virtutem suscepereunt abnegationes & despectiones & cruces: & quotidiè mortificati & aestimati velut oves occisionis, non defecerunt.

In virtute jussi ut solam gloriam meam quærent, nec sibi quidquam tribuerent, servos inutiles profitentes sese in consummatione obedientiæ suæ.

Et per virtutem solum regnum & gloriam mittentis quæsierunt, & stabilierunt in sudore & labore, in lacrymis & sanguinis effusione, in omnibus actibus vitæ, & in certamine mortis.

In virtute misi illos roboratos exemplo meo, ut facerent quæmadmodum ego feceram, viverent & morerentur pro adductione justitiae veræ & sempiternæ, & dilatatione regni mei quod est in secula:

Et per virtutem imitatores mei ita fuere, ut in me viventes & ego in eis, spectaculum facti sint in mundo, Angelis & hominibus.

12. Non per longas artes & disquisitiones & methodos, sed in virtute, subito sapientes facti sunt Philosophi mei:

Nec evaserunt vani locutores & dissertatores, vel semiini verbi superbientes & tumentes, sed per virtutem jam se esse factores & operatores evangeli mei demonstraverunt.

In virtute pro justitia mecum occumberē omne gaudium existimaverunt in stabilitum justitiae, & per virtutem etiamnū morientes oraverunt ardenter pro occidentibus, lapidantibus & crucifigentibus :

In virtute mortem despicerē edociti sunt, & per virtutem appropinquantes usque ad portas mortis, mori lucrum reputaverunt, & in pace securē obdormierunt in me, & requiem invenerunt.

13. Nihil humanæ, terrestris, carnalis & mundanæ sapientiæ invenitur in fundatione & extensione regni mei: nihil terrenæ, carneæ & mundanæ sapientiæ in illud poterit introducere te.

Regnum meum non est de hoc mundo, etsi in hoc mundo adventus ejus sit & progressus illius.

Discipuli mei, quibus dedi sermonem meum, non fuerunt de mundo, sicut nec ego fui de mundo.

Non potest mundus non odisse Discipulos, postquam Magistrum odio habuit: & me persecuti sunt, & servos meos consequentur usque in finem homines qui de mundo sunt.

14. Tentabit ergo & persecetur te mundus, fili mi; sed confide: ego vici mundum, ut per me vincas illum.

Sed in novissimis istis temporibus scito quia non humana tantum tentatio apprehendet te, sed & diabolica contra fidem & Deum:

Et memento quia consugiendum nunc est ad montes,

montes , ad solitudinem & orationem , quandoquidem à telorum igneorum multitudine vix salva fieret omnis caro , nisi breviarentur dies.

Sta ergo fortis in fide , & tene quod habes , ut nemo accipiat coronam tuam : ego servabo te ab hora temptationis quæ venit in orbem universum tentare habitantes in terra .

Tene quod habes : Sponsus sum qui ab ii in regionem longinquam accipere mihi regnum , & reverti .

Ne elongeris de sinu matris sanctæ tuæ Ecclesiae Sponsæ meæ , fili mi , cui mandavi per Prophetam ut multo tempore expectaret me , postquam devinxi mihi illam & pollutam sanctificavi , & mundatam ornavi & dicavi .

15. Contra illam jam tria temptationum temporæ præteriere :

Primum , in effusione sanguinis filiorum , per quam impinguatus ager plus quam in centuplum segetes dedit Christianorum :

Secundum , in civilibus bellis & contentionibus per hæreses & schismata varia , per quæ discerpividit viscera sua in amaritudine amariori , & à quibus , etsi dolenter , coacta est experire se per præcisionem , afferens fidei gladio malum ex semetipsa :

Tertium , in effusione omnis vitiorum generis adjunctis ignorantiae tenebris , per spiritualia

nequitiæ, in quo omnes quæ sua sunt quærentes, hæreditate sibi vindicaverunt sanctuarium meum, polluerunt tabernaculum nominis mei, mihi oblata & sacrata verterunt in suos usus & abusus, facientes sibi de nominibus & officiis humilitatis & religionis, nomina gloria & auctoritates in avaritia, elatione & vanitate, contra quos, ne nudaretur Ecclesia mea, effudi spiritum reformationis & spiritum disciplinæ cum lumine & amore scientiæ meæ, ut refloresceret Sponsa mea.

16. Tria vœ abierunt: restat adhuc unum per quām tremendum vœ: Angelus Satanæ in Angelum lucis sese transfiguratus, sessurus in templo Dei, & ostensurus se tanquām sit Deus.

Tunc lucis abusus ad hunc gradum ascendet, ut falsorum illuminatorum illorum triumphus sit tenebras disseminare super orbem terræ, virtutes & vitia confundere, peccatum & poenam peccati assumere pro principiis naturæ sanæ, terminos à patribus positos everttere & conculcare, sanctum omne commaculcare.

Sed confortare, fili mi, dum expectabit, reexpectabit Sponsa mea, quia modicum ibi: ora & vigila, ut salvificeris ab hora hac.

Apertæ omnes portæ inferi adversus Sponsam meam non prævalebunt adversus eam, etsi refugeset charitas & evanescet fides multorum.

17. Treme ad singulas vigilias noctis seculi hu-

lus: veniam horâ quâ nemo scit; & sicut fulgor exiens ab oriente paret usque ad occidentem, sic erit adventus meus, & suscipiam Ecclesiam Sponsam meam, & purgatam ab omni inquinamento faciam vitro lucidiorem.

Et tunc cantabitur mihi misericordia & judicium, quandò & in judicio & in misericordia ostendetur regnum meum: in misericordia super filios meos qui portaverunt jugum meum, & regnum meum stabilierunt in toto corde suo, in tota mente sua, in tota anima sua.

In justitia super filios Belial, qui absentis Sponsi jugum sanctum detrectavere dicentes: Nolumus hunc regnare super nos, & sub Principe tenebrarum harum, Principe mundi hujus, mundo & carni servire maluerunt in superbia & immunditia.

18. Interea attende simplex & humilis in simplici rationis lumine, & trita etiam rusterioribus perceptionis via, sapientiam veram in veritate unitatis, & unitate veritatis, unitatem fontis & originis, unitatem scopi & termini, unitatem præceptorum, unitatem testimoniorum, unitatem legis, unitatem principii, unitatem finis, unitatem Sponsi, unitatem Sponsæ, unitatem vocis meæ & vocis ejus quæ una mecum est in uno spiritu, Ecclesiæ sanctæ meæ:

In unitate veritas, in unitate perennitas, in unitate concordia, in unitate justitia, in unitate

Deus est , & glorificatur in secula:

Unus Pater , unus Filius , unus Spiritus sanctus ;
unum sumus :

Unus est qui est & non mutatur : unum est
opus ejus , & sibi constans est.

19. Per me justus unam viam novit , nec declinat
ad dexteram vel ad sinistram : uni veritati , uni
verbo æterno adhæret , unam vitam inquirit :
impius ut luna mutatur.

Unus esto , & tu , fili mi , in via mea : qui per-
severaverit unus in ea usque in finem , is demum
salvus erit : unum intende , unum pete , unum
quære à Domino , quia unum est necessarium.

Et quid proderit tibi mundum universum lucrari ,
si unum perdas extra quod nihil ? & si animæ tuæ
detrimentum patiaris , quam commutationem dabis
pro illa ?

Pro una salutis margarita comparanda , pro emp-
tione agri in quo est unus ille thesaurus absconditus ,
si oportuerit , vendenda sunt omnia :

Extra unum illud , fascinatio nugacitatis omnes
labores & sollicitudines hominis.

20. Unum illud necessarium per sapientiam in-
venies quæ à me est.

Posside sapientiam : melior est acquisitio ejus
negotiatione argenti & auri primi.

Purissimi fructus ejus : pretiosior est cunctis opibus ;
& omnia quæ desiderantur , huic non valent
comparari.

Ab omnibus quæ extra te sunt recede , nec patiaris animam tuam frustrà vagari:

Inutiles , vanas , curiosas & superbas quæstiones dimitte , & redi ad te : ego docebo te scire te.

Scientiæ omnis caput scire seipsum ; & ut scias te , vigila super te , omni custodia serva cor tuum.

Ego stabiliam in corde tuo regnum meum , si vacet à vanis , si mihi habitaculum mundum constanter exhibeas.

Ego per quem Reges regnant , & Principes imperant , ad parvulum divertere , & cum simplici confabulari delector : abominatio autem mea est omnis arrogans.

Quæ imæ & summa censemur apud homines paria sunt apud me : pusillum & magnum ego feci ; rusticus & disertus à me sunt.

21. Ego sum qui de post fetantes accepi puerum qui fuit secundùm cor meum , & constitui eum Regem in Israel , ad pascendum populum meum :

Et ego sum per quem sublimissimus Rex , cuius altitudo pertingebat ad cœlum , & potestas in terminos universæ terræ , ejectus ab hominibus & vinctus ære & ferro , in herbis terræ , rore cœli conspersus , pastum quæsivit per septem tempora , donec sciret quòd dominetur Excelsus super regnum hominum , & cuicunque voluerit det illud.

A me manat potestas Regibus data & Judicibus

finium terræ, pariter & humilis reverentia, & imperata & justa submissio parvis & subditis, non tantum proper iram, sed & propter conscientiam.

Et istorum & illorum opera interrogabo, & cogitationes scrutabor, & exiguo fiet misericordia, judicium autem durissimum his qui præsunt, & potentes potenter tormenta patientur.

22. Per me regnum à gente in gentem transferatur, propter injusticias & injurias, & contumelias & diversos dolos :

Per me potentes deponuntur, & exaltantur humiles : ego pauperem facio & dito, humili & sublevo, fuscito de pulvere egenum, & de sternore pauperem erigo, ut fedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.

In manu mea cor Regis sicut divisiones aquarum; sed non est apud me magnitudinis & paritatis acceptio, nec juxta mensuras hominum est modus gratiæ meæ.

Cor pauperis vilis & mundo despecti dirigo & imleo ; & sicut altus & egregius, ita & bassus & obscurus in me auctore naturæ & gratiæ vivit, & movetur, & est.

23. Ego Dominator virtutis & refugium pauperis: mihi absque cura, cura est de omnibus.

Cum tranquillitate judico & dispono tugurium & palatum, caulam Pastorum & aulam Principum,

Filiī hominū , filii Adam , filii mei sunt: deliciæ meæ esse cum ipsis.

Munda cor tuum , quicunque es , & videbis me , & stabilitur regnum meum intra te , regnum pacificum & amantissimum.

Experire quām bonus & dulcis Dominus his qui recto sunt corde , his qui gustant illum.

Stude sub jugo meo perenniter incedere , & onus meum quotidiè portare , & experieris utriusque suavitatem , utriusque felicitatem.

Appete gustare quām suaves deliciæ mentis & spiritus sint super illecebras omnes carnis & sanguinis.

Et scito quia sola veritas potest liberare te , & beare te , & quia extra me nullibi vel unquām potes esse verè liber & felix.



CAPUT III.

Labor.

Vox Discipuli.

1. **D**A , Domine , ut tandem cessem inquietè ambulare , nihil operari , curiosè agere , & tempus perdere .

Ad horam nonam vel forsan undecimam jamdudum veni : inclinata est jam dies , & advespe-

rascit: nōx appropinquat in qua non licebit operari.

Da, quæso, ut valeam unicum & summum negotium, unum necessarium operari cum silentio, panem meum manducans in abscondito faciei tuæ.

Hoc opus, hic labor est: da ut incipiam redimere tempus, ut potè qui dies innumeros, annos multos perdidì non redituros.

Inter dies vitæ, heu! computandi non sunt quos tandiù deputavi carni & sanguini, otio & deliciis mundi hujus:

Quos vixi sub jugo peccati: quibus otiositatem, voluptatem, & frivola occupationum mundanarum in deliciis habui:

Quibus Adæ impositum jugum laboris & sudoris petulanter declinavi.

Heu! quam multam malitiam docuit me otiositas hæc! vœ temporis quo in labore hominum esse erubuisse, etsi mihi quidem certè, sicut & pauperioribus Adæ posteris, lex illa pœnitentiæ indicta sit, ut in sudore vultûs mei vescar pane donec in terram revertar, ut ex ea comedam in laboribus cunctis diebus vitæ meæ!

O quantum memet ipsum fefelli, qui hoc me non posse credidi antequam experirer quid possem, & qui debilitatem vel defectum voluntatis impotentiam reputavi!

O quam saepius nimis, cupiditate trahente, seculo impellente, secundum carnem promptissime laboriosissima potui!

2. Nunc ergo, Domine, in ardore exemplorum tuorum, qni juga conficiens & aratra panem tuum manducasti in labore & fatigatione, charitate Magistri succensus, & in illo solo glorians sancto discipulatu, nunquid ultrà recusabo jugum sanctum tuum portare operando manibus meis?

Opera laboriosa, viliora & serviliora quomodò odisse poterit qui vitam absconditam dicens, vitam absconditam tuam, Domine, meditatur assidue & contemplatur?

In medio illorum quos vocant fratres tuos & forores sancti Evangelistæ, quia filii fuere fratum Joseph, in Nazareth per annos quasi triginta; in medio Discipulorum tuorum, quandiu felix nuncium regni Dei in Galilæa & Judæa ore proprio diffundere dignatus es, non fuisti ministratus, sed fuisti velut servus & ministrator: hoc dicas, illud innuis de te ipso.

Nunquam legimus, præterquam semel in vita laboris & doloris, opsonia ab Angelis tibi ministrata fuisse, cum recessisset tentator à te post jejunium dierum quadraginta:

Et manus sanctæ tuæ solæ, & comparaverunt tibi victum tuum in sudore, & ministraverunt in labore sub humili tecto.

Ipsæ stratum tuum versavere, & in rusticatione vel fabrilibus exercitiis lassari non recusaverunt.

In agris colendis victum quærere non desisti:

in laborum assiduitate manus sanctas tuas callescere voluisti, quæ nepotum Thadæi quondam dicti fratrii tui conditio fuit, quos callum manuum suarum Domitiano ostendisse narrat Eusebius.

3. Hæc fuit disciplina tua, Domine: hæc fors electa ex millibus, dum absconditus cum rusticis hominibus conversabar in Nazareth, pauperque & in laboribus putabaris filius Joseph.

Jugum grave & onus poenitentiae Adami peccatoris & de terra terreni, Agnus absque macula, novus Adam de cœlo cœlestis portare non recusasti.

Et ego in peccatis conceptus, damnatus priusquam natus, jugum illud à te cum tam stupenda humilitate susceptum arroganter detrectabo fuscipere! laboriosis operibus opprobrii labem infigam! otio & deliciis vitae mollioris & mundanæ gloriam & beatitudinem tribuam!

Ignosce, Domine, ignosce, clementissime & misericordissime Jesu, haetenus excusanti & tergiversanti à sacris vestigiis tuis.

4. Impone jugum capiti meo, & sicut evacuasti immuta super me jugum vetus, jugum grave, signaculum veteris Adami affigens illud cruci tuæ, onus incurvans caput hominis veteris.

Suppone jugum tuum, substitue onus tuum novo homini semper suave, semper leve in unctione sancta tua:

Et ut dignus fiam illud portare, cor novum

infunde, & spiritum novum: novum illum hominem crea in me & spiritum rectum.

Laborans & oneratus sub antiquo illo paterno
Adami infelici jugo, lentè nimis, timidus pusilla-
nimis & formidolosus accedo ad te.

Sed ecce adsum, vocasti enim me, quando
dixisti: *Venite ad me, omnes qui onerati estis.*

Impone jugum sanctum tuum capiti meo, jugum
illud pennis amoris ferventioribus fultum semper.

O Domine! fiat in me felix hæc jugi innovatio:
hæc mutatio sit dexteræ Excelsi: fac ut in illo tol-
lendo usque in finem perseveranter stet omnis
affectionis, omne desiderium, omnis cura cordis
mei. Amen.

C A P U T IV.

Solitudo.

Vox Christi.

I. MEDITARE, fili mi, simplicitatem viarum
mearum, fructusque mirabiles simplicitatis illius
in stabiliendo & ampliando & promovendo regno
Dei:

Super omnia miracula illud enituit, & cætera
eunda illustravit, quod in paucis simplicibus viris
totum mundum & omnem sapientiæ ejus altitu-
dinem subjugaverim mihi.

Verum in eodem spiritu, per exempla aliorum illorum simplicium hominum, qui solitariam vitam amplexi sunt, renovavi miraculum illud, dum variis temporibus per illorum simplicissimam vitam, sicut per piscatorum paucorum simplicissimam eloquentiam, sapientes seculi, Philosophi alta sentientes, potentes & magni, nobiles & ignobiles, prout trahebat eos Pater ad jugum meum tollendum inducti sunt.

O quot & quanti per illorum altissimam paupertatem terrenis cupiditatibus ex emulatione renunciaverunt! ô quot & quanti ex istorum abnegatione, honores & opes mundi hujus cuius figura præterit, ad æterna gaudia anhelantes, didicerunt arbitrari velut siliquas & paleas à vento raptatas, ut regnum Dei lucrifacerent!

O quot & quanti contemplati illorum otia sancta, facra silentia, fortunatas vacationes in meditatione & oratione, earum rerum quæ tumultum faciunt, pomparum illarum cuius strepitus latè diffunditur inter homines seculi, transitorium sumum, futilem mundi gloriam, & vanos ejus rumores aversati sunt!

Vox Discipuli.

2. O benedictus sis, Domine Jesu, qui à primordiis Ecclesiæ tuæ sanctæ ad hæc usque secula, tot tantaque exempla exhibuisti simplicissimæ & sanctissimæ vitae.

O quām felix via in qua à contradictione hominum abscondis electos tuos in abscondito faciei tuæ !

Quām benè fundata quæ à tempore Proprietarum præmonstrata , sub oculis tuis in Præcursorē tuo innovata & instaurata , à temetipso in vita abscondita triginta annorum consecrata fuit !

Quæ in mansione tua & jejunia quadraginta dierum in deserto sanctificata est , ab Apostolis in monte sancto , te præsente , in ineffabili dulcedine prægustata & in æternum concupita !

Quæ & à primis Fidelibus , calente adhuc memoriâ & exemplo Magistri abnegantis sese usque ad mortem crucis , in Ecclesiæ cunabulis specialiter fuit præelecta !

Sed , heu ! quomodò in fæce seculorum obscuratum est aurum inter Christianos , vileque adeò nunc reputatur tam sanctum , tam venerabile nomen ?

Qui fit ut nulli jam vel rarissimi sint cœnobiticæ & solitariæ vitæ laudatores , detractores tam multi ?

Vox Christi.

3. FILI mi , prætermitte scandala quæ juxta strictam viam à dextris & à sinistris posita sunt , & ad anteriora extende gressus tuos .

Nec respondere , nec litigare opus est cum detrahentibus .

Fuge quidquid nocet profectui tuo ; plurimum autem nocet quidquid detinet, immo quidquid moratur ad nuptias Sponsi festinantem.

Grandis restat via , nec tardare debes vel negligere paululum : nunquam & nulla levis jactura temporis est in proposito sancto.

Laus humana falsa saepius est , & semper timenda, prudenterque fugienda : verum in detractionibus hominum , qui , cum versentur in tenebris mundi , infelices filii noctis de luce confidenter audent judicare , hoc unum supereft , tacere & pati , orare pro detrahentibus , & a fructibus verae sanctitatis , vitae sanctimoniam probare , bonam arborem manifestam facere .

Qui ad christianæ pietatis culmen ascendere intuntur , qui volunt esse perfecti hoc faciunt : obliviscuntur aliena , obliviscuntur quæ retrò sunt , ut ad destinatum persequantur , ad bravium supernæ vocationis .

4. Sed non omnes in cellis & in eremis fas est habitare filios Dei , etsi omnes necesse sit solitarios esse :

Solitarios , per fugam & mundi contemptum , ut Christo vivant in innocentia manuum & munditia cordis :

Solitarios , ut vivant sibi , & saluti suæ provideant , nec in vano acceperint animam suam:

Solitarios , qui intrent assidue in cubiculum suum ,

& ibi clauso ostio orent Patrem suum, qui videt in abscondito, qui scrutatur corda & renes, & audit gemitus de latebris conscientiae ascendentibus.

5. Cellam sibi invenerat & erexerat in corde castissimus Joseph in domo opulentiori & in administratione laboriosori, qui fidelissimus Domino suo horruit in illum peccare, & in Deum suum, pietate illâ plenus quæ nihil aliud est quam jugis Dei memoria, continua in eum intentio, indefessus in dilectionem ejus affectus.

Hanc cellam sibi paraverat Daniel primos inter immensi imperii rectores annumeratus, qui ingrediens domum suam in coenaculo tribus temporibus in die contra Jerusalem flebatur genua & adorabat:

Hanc cellam sibi constituerant cum Daniele, Ananias, Misael & Azarias, qui dum ad portam magnificentissimi Regis jussu ejus alerentur, aquam & legumina cibis regiis & vino de mensa potentissimi Principis præposuerunt.

Nunquid Discipulis evangelii regni Dei in inferiori statu loco & conditione positis, & inter paucula rerum privatârum negotiuncula, cellam similem sibi componere difficilius judicabitur?

6. In medio pomparum mundi, cum de mundo non essent, floruit Ludovicus, cuius cor sicut divisiones aquarum in manu Domini, floruerunt & alii Christiani & sanctissimi Reges & Principes per hujus sanctæ cellæ habitationem inclusi intus cum

Deo, ibique amanter & constanter immorantes, dum in fastu divitiarum & honorum, & in apice summæ potestatis respiciebantur à foris.

Nunquid qui in mundo sunt inferioris conditionis homines? nunquid homunciones quorum præ tenuitate natalium, dignitatis, & opum multi in obscuro, pauci in luce diei, plures in infimo & ignoto gratu positi sunt, nescient à semetipsis seculum excludere, ut adstruant sibi cellam istam:

Cellam spiritualem ubi solitariè conversentur in luce veritatis, in sereno mundi cordis?

Experire, fili mi, quām jucundum sit illud domicilium pacis, quanta beatitudo animæ cui facile ab exteris redditus competit in illud cubiculam clausum, ut ibi fruatur Deo in se, & se in Deo:

Quanta felicitas ejus qui sic intra se invenit regnum Dei.

Qui sic ipse suus est sibi, qui sic solus est, invenit gaudium verum, & nunquām certè minùs solus est quām cùm solus.

7. Hæc est vita perfecta; sed eadem est vita verè beata, eadem vita verè christiana.

Christianus is est qui verè Christi est, qui delectatur in dicendo, Tuus sum, Domine, & jam non sibi vivit, sed ei qui pro vita illius reparanda vitam vixit, vitam sumpsit & consumpsit, in præsepio natus armentorum, in Nazareth vilis factus & contemptus, in diebus ostensionis suæ

pauper & humilis conversatus, tandemque in morte cum sceleratis reputatus.

Illâ vitâ, illâ morte emptus es, ô homo! à Deo tuo: emptus es pretio magno, ô Christiane! hanc ergo pretiosissimam emptionem assiduè recolite, Christiani filii mei dilectissimi, speciales filii Jesu, memores quod si empti, jam non estis vestri.

Vox Discipuli.

8. O DOMINE! fac ut toto desiderio amplectamur felix istud & dulce dominium tuum supra corda, supra mentes, supra corpora nostra, semper attendentes membra nostra esse membra tua:

Semper portantes & glorificantes Deum intus & extrà, in membris & in mente: semper exhibentes corpus nostrum hostiam viventem tibi, sanctam, Deo placentem: corde puro tibi semper inhærentes: in omni re, verbo, cogitatione, motu & voluntate, visi simplici mentis, devotè semper intendentes in te. Amen.

C A P U T V.

Caro & Spiritus.

Vox Christi.

I. FILI, evenit quandoque ut in opere hominis spiritualis & hominis animalis videantur à foris

similes actiones; sed apud eum qui corda mentesque discernit, longè distant utriusque voluntates & intentiones, & prorsus dissimiles sunt.

Animalis homo callere potest ingenio, arte vigere, intellectu præeminere, quia instrumenta sunt hæc tam vitiorum quam virtutum.

At solus spiritualis homo novit his uti tantum in bono; ingenio, ut corpus adaptet; arte, ut naturam informet; intellectu, non ut elatior, sed docibilior fiat: & in omnibus hoc unum præ oculis habet, ut in virtute proficiat, sciens quia hæc vult doceri cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore.

2. Animalis homo, vel refugit ad conscientiam redire, quando indè non est profectus rectâ intentione ad agendum, timens ibi invenire graves corrosiones:

Vel redit, ut ibi concoquat venena mortifera, in criminosa delectione, vanis imaginationibus sponte tradens se.

Spiritualis homo, etsi lumbi ejus repleantur illusionibus, etsi affectionum imaginationes, & quæ exinde oriuntur noxias occupatorias & otiosas cogitationes excutere à se prorsus non possit, semper exosam habet voluptatem visorum, auditorum & gestorum, quorum imagines lumen oculorum ejus disturbant in cogitandis divinis & spiritualibus.

Contra concupiscentias pugnat assiduè, dumque in corde nolentis & reluctantis hujusmodi imaginationes & phantasmata cogitationum volvuntur, dumque animalis improbitas, etiam in medio orationis & exercitiorum spiritualium, affectum, intellectum, & sœpè mentis fructum, vel omnino præripit, vel conatur præripere, molestias tantas humiliter patitur, orat perseveranter, postulat à Deo affectum trahentem, rationem ducentem, discretionem moderantem, & in via spirituali proficit etiam per tenebras illas.

3. Animalis homo sapiens vult videri, & affectat sapientia in multiloquio.

Spiritualis homo non refugit stultus fieri & videri in seculo propter me, ut sit sapiens in Deo.

Animalis homo immoratur & delectatur in tenebrosa Ægypto, & sedens super ollas carnium, promissam sibi regionem verè manantem lacte & mille aspernatur, quia non percipit ea quæ Dei sunt.

Spiritualis ea sola sapit quæ Dei sunt, non quæ sunt hominum, & in luce lucernæ lucentis in caliginoso terrenæ hujus habitationis, longè ab Ægypto fideliter & perseveranter in deserto cordis peregrinans, manna nutritus, legem Dei edocitus in visibili monte Dei, per varias castrametationes patienter festinat ad summum & invisibilem montem Dei præparatum in vertice montium.

4. Animalis homo in tenebris ambulans, lucem quæ est in via spiritus, nec suspicatur, nec quaerit.

Hanc solam novit lucem quæ ex variis studiis, artibus exquisitoribus, scientiarum subtilitatibus, humanioribus litteris, conquisitionibus, scriptis & hominum innumeris adinventionibus oriens incessanter, discussionibus & argutiis sapientium & prudentum mundi hujus sustentatur.

Hæc lux à Deo certè est, quæ ostendit hominibus, & necessaria, & utilia, & pulchra, & comoda, & grandia: hæc indistinctè bonis & malis, filiis Dei & filiis hominum, habitatoribus tenebrosæ Ægypti, & Hebræis terram Gessen incolentibus præbetur & lucet:

Sed est alia lux quæ luxit in tenebris, quam tenebræ non comprehenderunt, quam qui receperunt, non modò filii lucis facti sunt, sed filii Dei.

Hanc receperunt qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis peccataricis nati sunt: hanc qui receperunt, gustant alimenta spiritus, charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, longanimitatem, bonitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem & pietatem habentem promissionem vitæ quæ nunc est & futuræ.

Qui verò hanc non comprehenderunt, animales, servi sensuum suorum & corporum, sola gustant alimenta mortis & perditionis, fructus reprobos

carnis suæ, in immunditia, superbia & luxuria, in inimicitiis, contentionibus, æmulationibus, iris, rixis, dissentionibus & invidiis, in passionibus & comessationibus, quæ quicunque agunt arcebuntur à regno Dei.

5. Spiritualis homo intellectus, ingenii & artis fontem verum novit & dilexit, & ex donis Dei dives factus, utitur illis ad necessitatem vel utilitatem, in omnibus gratias agens.

Animalis homo, etsi per ea quæ facta sunt intellectam conspiciat invisibilem & sempiternam virtutem & divinitatem, evanescens in cogitationibus suis, luce Dei ad curiositatem & voluptatem & superbiam abutitur.

Spiritualis homo simplex est, unum intendit, unum vult, planè conversus ad Deum, unam petit à Deo, hanc requirit, ut inhabitet in domo Dei, ut ambulet cum ipso & coram ipso omnibus diebus, nec ambit multiplicari in seculo.

Animalis hominis multivola mens est: dumque per corporeos sensus circa dilectorum corporum delectationes, affectus pascit mortiferos; dum eorumdem fruitione nutrit sensualitatem suam, multos & fævos experitur dominos in variis desideriis cordis pravi distrahit per calles devios, & nunquam quiescit, sed est velut mare fervens.

6. Animalis homo jucundum id solum habet secundum delectationes corporis vivere, & cum

ab eis avertitur, nescit imaginando, nisi corporeas cogitare.

Spiritualis homo delectationes spiritus quærit, & cùm ad cogitanda spiritualia & divina se erigit, aliud de eis quam de corporibus vel corporalibus novit aestimare.

Animalis homo, dum avertitur à Deo, vel ita fit intra se remissus & brutus, ut regi vel non possit vel nolit; vel si extra se abripiatur, in sapientiae illius barathrum incidit quæ stultitia est apud Deum & animæ mors.

Spiritualis homo spiritualiter intra se immoratur, bonam & simplicem voluntatem offert auctori suo formandam; non credit se sibi, sed timore Dei sapientiam operante in eo, omnia defert ad judicium rationis & spiritus in semetipso; & in dubiis ad consilium alterius spiritualis humilis viri configere non aegrè fert, vel superfluum censet.

Vox Discipuli.

7. Quis docebit servum tuum, Domine, rectam semitam tenere in conflictu illo carnis adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, præter te, qui utrumque creasti, hunc insuflasti & illam plasmasti, ut utrumque suo modo & tempore in æternum salvares

Corpus quod primùm in terra de qua sumptum fuit seminandum est in corruptione, heu! aggravat

animam, & terrena inhabitatio spiritūs deprimit sensum multa cogitantem.

Legem prementem in membris meis, heu! assiduè invenio repugnantem legi mentis meæ & captivantem me.

O quantum, sanctum illud primum foedus, manu tua signatum, conturbatum est à peccato!

Et quis pacem dabit inter sensus exteriores & interiores, præter te, qui solus fines carnis & spiritūs pacem ponere potes, hominem à seipso servare, & inimicos hominis domesticos ejus sociare in auxilium sanctificationis?

8. Da, Domine, tu qui solus id potes præstare, da ut corpus peccati docile sit sub animæ pœnitentis regimine, da, qui socius tantiù fuit culpæ, fiat & pœnæ, qui spiritualia exercitia tam sæpè retardavit & impedivit, juvet nunc profectum spiritūs bonum in vigiliis & jejuniiis, & abstinentiis plurimiis.

Fac ut & ipsum corpus meum vetè pœnitens, sit ad sobrietatem moderatum, assuefactum ad obedientiam, ad laborem paratum, & ubique institutum & esurire & saturari, & abundare & penuriam pati.

Da ut in foedere isto in quo debet spiritus præsesse & corpus servire, ita discretè corporalia pœnitentiæ & laboris exercitia dirigat primus, ut nec qui regit deficiat spiritus, nec quod regitur corpus languescat.

Ita deduc servum tuum, Domine, ut modus in omnibus servetur, castigetur & in servitutem redigatur corpus, affligatur & dometur, sed non conteratur.

9. Fac ut, si nec indecens nec injustum videatur dolere caput aliquandò in servitio Dei, quod tam sæpè usque ad dolorem laboravit in vanitate seculi, esurire stomachum usque ad languorem, qui tam sæpè & in deliciorum ciborum exquisitione, & in varietate & nimietate deliquit, ita prudenter tamen noverim præcavere, ut non impediantur spiritualia ex lassitudine mentis, vel corporis aegritudine.

Da, Domine, prudentem discretionem in his omnibus, quæ & modum, & quantitatem, & qualitatem indesinenter disponat.

In observando quæ sunt legitimi fæderis inter corpus & spiritum, fac ita noverit iste cum corpore convivere & convenire, quasi non sibi diù sit cum eo commorandum, sicque, ut si quandocunque evenerit, non urgeatur ad exeundum.

10. Dignare, Domine, docere me, docere animalem hominem, primam illam in via spiritûs ubi vix ingressus sum, rudemque & grossam institutionem, quæ circa corpus est, & exterioris hominis compositionem.

Doce me rationabiliter mortificare membra mea quæ sunt super terram, & inter carnem & spiritum

spiritum assiduè invicem adversùm se concupiscentes, justum rationis & discretionis habere judicium.

Doce me corpori vendito sub peccati jugo, multa & inutilia quæque etiam volenti denegare, utilia etiam nolenti ministrare, & ita de eo agere sicut de non meo.

Tuum enim est, Domine, corpus meum: tuus est spiritus meus, totus emptus sum tibi pretio magno.

Asperge & munda castellum illud, undè fortē armatum fortior expulisti, ut fiat jugiter habitaculum tuum, nec vacans unquam sit.

Ibi habeam te & glorificem te, nec deseras amplius domum, etsi pauperem & angustum, quæ tua est, & in qua habitat anima redempta sanguine sancto tuo.

Ne quam mundasti & ornasti, polluat & inquiet superveniens ille antiquus sævusque tyrannus, qui circuit quærens quæ rursus invadat & devoret, infensissimus hostis regni tui, & adversarius servorum tuorum.

CAPUT VI.

Militia Christi.

Vox Christi.

1. **E**RRAS, erras, si ad quietem te vocatum præsumas, & non ad laborem; ad delicias præsentias

Sponsi sancti , & non ad gemitus & anxietates absentiae ejus.

Ad solatia mentis illuminatae , & non ad probations & ariditates & tenebras intellectus:

Ad jubila cordis vacantis secus pedes meos & audientis verba vitae , & non ad derelictiones & agonias Sponsi crucifixi.

Dilectum tuum quare inter spinas multas , & ut illi adhaereas , cessa haerere tibi : abnega temet ipsum , ut invenias illum : abscede a te , & occurret tibi.

Nihil tibi velis voluntate tua ; velle tuum & nolle ipse sim tibi : ipse solus ducam & consulam : me solum obaudi : mihi soli obtempera.

2. Ad hoc autem non pervenies , ut una sit cum mea voluntas tua , & unus tecum spiritus fieri merearis , nisi tecum dissentias , nisi tibimet adverseris , nisi gravi & vigili lucta , tu ipse contra te ipsum infatigabiliter praelieris.

Sic , sic valefacies innatae affectioni , inveterato proprio amori , & tu ipsius exquisitioni.

Scito tibi non instare pejorem inimicum temet ipso : si mundus vento vanitatis , diabolus livore malitiæ ad malum impellant te , tu pondere propriæ exquisitionis & corruptionis periculosius te ipsum impellis ; tu gravamine propriæ substantiæ gravaris magis ; tu magis assiduus tu tentator es , & seductor & præcipitator.

Rugiat diabolus, alliciat te mundus, non est quod ab illis formides, si ipse à te proprias contineas manus.

Manus tuæ, consensus tuus. Suadenti mundo, diabolo suggestenti assensum denega, nec dederis sensus tuos, intrà vel extrà, arma iniquitatis peccato, & mundus eris.

Alieno impulsu absque tuo cadere non potes: tuo absque alieno fæpissimè cadis.

O cave ab homine: noli confidere in homine: homo ille, ipse es, inimicus tuus è molestior, quò interior solus dejicere sufficit, cùm sine ipso nec mundus, nec diabolus, etsi impellere possint, nequeant evertere te!

Vox Discipuli.

3. Hoc verè expertus confiteor tibi, Domine; sed quàm inops & pauper ego sum in lucta illa quotidiana, nisi virtutem dederis cui inniti possim!

O quis in fordibus carnis conceptus, & in peccato natus valebit ascendere in montem Domini, ad tam arduum verticem, ad virtutum culmen & perfectionem, de abysslo carnis, de limo profundi, nisi tu continuò deducas & protegas!

Quàm arduus est ascensus, & casus concitus absque tutamine tuo, Domine, qui solus induis nos virtute ex alto, qui das vigorem animi sanctum omnia ad rationem dirigentis:

Immobilem animi vigorem, qui stet pro ratione
& cum ratione passioni cedere nescius !

Tu solus per virtutis hujus infusionem, animum
victorem sui, & ad omnia invictum facis.

In hac virtute quæ à te est, fac, Domine, ut
nolim jam esse amicus mundi hujus, ne cadam cum
labili.

Fac ut intimè percipiam, quia qui vult amicus
fieri hujus mundi, inimicus Dei constituitur.

Contra ignita omnia diaboli tela, in hac sancta
virtute tua fac ut valeam sustinere:

In illa valeam resistere vento & tempestatि.

Ad scuti illius sancti fulgorem fugiant, omnes qui
persequuntur animam meam, uti auferant eam:
obumbra caput meum galea salutis, indue me
loricam fidei, ut securè incedam inter hostes tuos,
nec in medio scandali timeam à telis eorum ignitis,
incessanterque dirigantur gressus mei in ascensione
montis sancti. Amen.

CAPUT VII.

Beati Pauperes !

Vox Discipuli.

DOMINE, Deus meus, fac ut quandiu vixero
memor sim per singulos dies me in terra peregrini.

nationis versari ; cùm Christianus patriam veram, unam solam habeat cœlestem Jerusalem , æternam in cœlis :

Me in militia stare , cùm hominis vita militia sit vera super terram , habens colluctationem domesticam & quotidianam adversùs carnem & sanguinem :

Me in castris vivere sub vexillis Christi , sub quibus nemo coronabitur , nisi qui legitimè certaverit.

Concede ut æstimemus nos , sicut res est , quasi citò migraturos de castris militiæ hujus , & de loco brevis peregrinationis transituros in patriam & civitatem nostram , in domum æternitatis nostræ:

Quasi habitantes interea , laborantes , militantes in alieno solo , non in nostro :

Nec solliciti unquam simus domos amplas ædificare ad habitandum , verùm sufficiat nobis tabernacula erigere & habere ad deserendum.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

2. FELIX oratio quâ temporanea & transitoria despicer deprecamur , ut ad æterna festinemus.

Sed nonne sat est attendere quâm vani sunt & imaginarii proprietatis tituli ? nonne advertere sufficit quâm futilis & falsa idea proprii , ad spen-nendos omnes mundi thesauros ?

O miserum proprietarium qui absque ulla præ-

cedente participatione suâ, invenit sese in terra ista infima, nescius unde venit, aut quod vadit!

Quique ex munificentia creantis habens & vivere & esse, dum in præaltis domibus nascitur & in medio prædiorum urbanorum & rusticorum, opum & servorum, hoc totum habet in tempore quod nec prænovit, nec præelegit, pro tempore obscuro & incerto, ad tempus breve & certam metam, etsi prorsus ignotam!

Jura utendi, fruendi, possidendi, obtinuerunt suis temporibus pater & avus, quæ mox reliquerunt filio, à quo citò sunt transitura ad nepotem vel extraneum.

O miserum dominum & dominium, cuius ab arbitrio nec pendet vel hora accipiendi, vel hora dominationem deserendi!

O quam rectius & propriius ususfructuarius is verè dici potest & villicus, cuius villicatio tota à Deo est, qui dat ortum, progressum & exitum villicationi & villicantи.

Is verè dominus est, cui in veritate dicere fas est: *Terra mea est, vos advenæ & coloni mei.*

3. Si ergo coloni & villici, hæc semper sit cogitatio nostra, in terreno solo peregrinos nos esse, non habentes civitatem manentem, sed futuram inquirentes & expectantes meliorem, fundamenta habentem in montibus æternis.

Hæc fuit assidua meditatio virorum sanctorum

illorum qui in solitudine & eremo, spretâ vanâ illâ & imaginariâ proprietate, & quibus dignus non erat mundus, in omnimoda paupertate vixerunt:

Qui, etsi afflitti & angustiati in oculis mundanorum, deliciis affluebant in sinu parcimoniae & frugalitatis:

Qui laborantes manibus suis, de fructu laborum suorum, dum ipsi egerent, locupletabant infirmos multos & pauperes in oppidis incarceratos.

4. At nunquid ipse Dominus Jesus inter multos fratrum filios in Nazareth computatus, dumque filius Joseph putabatur, hanc doctrinam docere visus est de labore nostro vivere, & labores manuum nostrarum manducare?

Nunquid hoc altè clamare videtur dum per tot annos pretiosissimæ vitæ vixit ignotus in medio infimæ plebis, dum tandem victimum & vestitum ab alienis manibus recusavit percipere?

A fidelibus quidem ali tandem voluit, immo & aliquandò ab infidelibus, à Publicanis & peccatoribus, ut eos fideles faceret, dum publicam vitam degens, ultimam & minorem demum annorum vitæ sanctæ suæ partem prædicationi Evangelii regni Dei addicere dignatus est.

Verùm primam & longiorem ejusdem vitæ partem jam consumptam, labori & sudori addixerat propriis manibus partum panem manducans.

5. Prima igitur forma paupertatis hæc est, &

exemplar primum exhibitum ab eo qui cum **dives** esset, pauper pro nobis factus est.

Durum Adami peccatoris jugum, totumque pœnitentiæ onus, subiit Dominus Jesus, factus in Nazareth Christianis omnibus norma.

Secunda paupertatis forma, integra terrenorum abjectio est, imò & rerum quæ vel summe necessariæ videntur; ita ut de semetipso dicat dum evangelizabat: Volucres cœli nidos, vulpes **foveas** habent, Filius autem hominis non habet ubi **caput** reclinet.

In hac exemplar est abnegationis & paupertatis perfectæ, in qua vitæ necessaria à manibus alienis subministrata accipere non recusavit.

Quandoquidem legimus insuper Mariam Magdalenam, Joannam uxorem Procuratoris Herodis, Susannam, & alias multas fuisse quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

6. Hæc ultima, apostolica paupertas est, & apex evangelicæ perfectionis:

Prima eorum est qui spiritu & affectu verè pauperes, in statu in quo à Deo ordinati sunt, primi Adami pœnitentiam humiliter amplectuntur, qui & secundi Adami vestigiis inhærentes, ardenter & alacriter in labore manuum suarum panem suum manducant.

Verè beati quos beavit summa veritas dicens:
Beati pauperes!

Verè beati quos beaverat & ante Psalmista, &
quibus benè esse dixerat labores manuum suarum
manducantibus!

Summè beati qui non tantùm in labore & fati-
gatione laudantem & inducentem Psalmistam,
exemplar & normam habent Apostolum Paulum,
sed & semitas ipsas osculantes sequuntur novi
Adami & Magistri nostri Domini Jesu:

*Qui pauper fuit & in laboribus à juventute sua:
quem fabrile ministerium exercuisse simul & ara-
tra & juga confecisse edocet nos vetustissima &
sancta traditio:*

*Qui nec callosas manus, nec laboriosa opera
detrectavit in diebus carnis suæ:*

*Qui in agrorum cultura creata ab Altissimo,
plagis manuum plagari in quotidiano duro labore,
non recusavit:*

*Qui etsi peccatum non fecit, veteris Adami ad
litteram perferre voluit sudores & labores, & ab
adolescentia sua quotidiè per lustra sex in humili
domo, durissimam pœnam peccaci subire!*

Vox Discipuli.

7. O DOMINE JESU, qui jugum Adami pecca-
toris portare voluisti in sudore & labore, qui,
ut illum in suavissimum jugum transmutares, ipse
non es dignatus jugorum consector fieri & sub-
jici fabro, qui socius ejus esse & filius nominari

voluisti! animæ desideranti multum & anhelanti
sequi te, sanctum illud jugum impone, tam misericorditer nobis laborantibus & oneratis oblatum,
quod confidere & levigare tandem sanctissimæ manus tuæ dignatae sunt.

Sub jugo illo suavissimo vitam degere & vitam exhalare concède: sub illo in labore & patientia doce me semper gaudere: in illo, velut in tabula post naufragium relicta, transfretare, & per illud tandem in portu charitatis tuæ salutem & requiem invenire.

8. Da ut qui paradisum primi Adami infeliciter amittens cum patre nostro primo, in quo totus homo extitit reus, triste jugum subii intrans in hunc mundum, per gratiam tuam *transiens* ad jugum sanctum tuum, feliciorem merear tibi novo Adamo paratum à seculo & membris sanctis tuis consequi paradisum:

Ubi non amplius habeam expavescere ad vocem Plasmatoris, factus per inobedientiam reus, sed semper laudare & benedicere te, in sanguine tuo redemptus & lotus:

Ubi à voluntate sancta tua nec velim nec possim alienari:

Ubi non jam in mysterio & sub signis habeam edere de ligno vitae, sed illum revelatâ facie valentem conspicere, & aeternum contemplari, qui fons est aeternæ & ineffabilis felicitatis & vitae.

CAPUT VIII.

Altitudo divitiarum scientiæ Dei.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. **M**ELIUS est & utilius si quæras illuminari & moveri à gratia, quām si frigidâ mente & arido corde ejus curiosius intendas investigare naturam.

Parùm prodest doctrina multa quam non comitatur ardenter affectus æternæ lucis & veritatis.

Mirabiles & investigabiles viæ Dei sunt, seu scientiarum Dominus in scientia & sapientia sua illuminet mentes, & corda accendens placidè dirigat voluntates & actus:

Seu per virtutem & inenarrabilem vim delectationis vel præmotionis intellectum præoccupans, trahans nos post se, in fragrantia & suavitate olei lætitiae quo unctus est Sponsus Ecclesiæ præ participibus suis.

Qui potens est, magna facit & novit attingere à fine ad finem fortiter: qui fecit nos liberos, qui mirabilia operatur in nobis, trahere novit & vincere corda nostra salvo voluntatum nostrarum arbitrio.

Qui sapiens est, cui præparantur cogitationes, cui & capilli omnes capitum nostrorum numerati sunt, qui tempora posuit & horas in sua potestate,

in beneplacito suo disponere novit omnia suaviter ad salutem electorum suorum.

Idem sapientissimus & omnipotentissimus, præveniente, comitante & consummante gratiâ, dirigit & sanctificat quidquid boni in nobis est. Hoc scire sufficiat, ut simus semper orantes, & in omnibus gratias agentes.

c. 2. Quid querit homo scire quomodo moveat cor hominis factor hominis, qui nescit quo pacto anima in habitaculo suo motum inferat ad extremum digitum suum?

Quomodo poterit homo afficiendi & instruendi serutari mòdos & relationes creatoris cum creatura, qui nec potest concipere leges incarcerationis spiritûs sui in corpore suo, etsi utrique præsit, disparemque utriusque naturam evidentissimâ interiori luce experiatur & sentiat?

Noli alta sapere, noli scrutari majestatem scientiæ & virtutis Altissimi, ne opprimaris à gloria.

Posuit Dominus, posuit tenebras latibulum suum; tenebræ super faciem abyssi hujus, ut adoret homo in humilitate, factoris sui judicium & misericordiam.

Esto parvulus; talium est enim regnum Dei: & qui non recipit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

Non quærit Jesus scrutatores mirabilium viarum suarum, sed humiles operatores in fide verborum suorum.

Discamus effici parvuli ; discamus corde humiles esse , declinare à malo & facere bonum per auxilium , & in auxilio & cum auxilio gratiæ suæ ; semper attendentes quia non sumus sufficientes aliquid cogitare , aut velle , aut perficere à nobis quasi ex nobis , sed quòd sufficientia nostra ex Deo sit.

C A P U T I X.

Fili Hominum & Filii Dei.

Vox Christi.

I. O FILI ! ne communices cum operantibus iniquitatem , nec cum electis eorum , etsi potestate & celebritate nitentibus , desideres conversari ; sed ad justos , oculos tuos converte , & ad rectos & simplices.

Oleum peccatoris non impinguet caput tuum , nec adulantis linguae blanditiæ venenosæ decipient sensum tuum.

Sed os justi qui meditatur sapientiam , corripiat te in misericordia , & requirat animam tuam.

Virum sanctum quemcunque cognoveris obseruantem timorem Domini , hunc elige cuius anima secundum animam tuam sit , & qui cum titubaveris in tenebris vitae , condoleat tibi ex animo.

Conjungere amicitâ homini qui cor habet boni consilii: hunc pete à Deo; non est enim apud homines quidquam aliud pluris illo.

Anima viri sancti enunciat vera & meliora, quam septem vani circumspectores sedentes & speculantes in excelso mentis superbæ.

Fuge pravum & malevolum hominem, malignum, & detrahentem secretò proximo suo.

Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc noli edere: fideles terræ, pauci veritatis & virtutis amatores, hi sedeant tecum.

Qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, non habitet in medio domûs tuæ: qui ambulat in via immaculata, hunc require tibi ministratorem.

2. Studiosè consortia filiorum hominum fuge: adhære filiis Dei dispersis in medio zizaniorum multorum in lato campo mundi hujus terreni: à fructibus eorum utrosque cognoscès.

Filios hominum, ab initio mundi nascentis, à filiis Dei distinctos invenies in libris sanctis.

Ibi à filiabus hominum quas inter perpulcas elegerant ortam legis corruptionem invenies, quâ corrupti sunt filii Dei, quam & subsecutæ sunt à Deo aquæ diluvii inundantes, & omnem animam viventem super terram deglutientes.

Fili hominum ii sunt qui de mundo sunt, & quos diligit mundus.

Fili hominum in facie comes & blandi, in corde

diri & immisericordes : dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus :

Gladius iracundiae in anima ipsorum , gladius malitia in operibus eorum , gladius vindictæ & calumniæ in labiis ipsorum.

Filiī hominum vani, mendaces in stateris , pesimè judicantes de meritis hominum , decipientes ipsos de vanitate in idipsum :

Obturantes aures suas, firmantes sibi sermonem nequam : lingua eorum res amara, arcus pravus, quo sagittant in occultis immaculatos.

3. Ipsi sunt qui saepius obtinuerunt divitias : ipsi sunt abundantes in seculo , dum filii Dei flagellantur totâ die , & castigatio illorum in matutinis.

Ipsi scientias vanas exquisierunt ; scientiam Dei, scientiam sui, scientiam salutis repulerunt.

Ipsi despiciunt & prevalent adversus justum : nefariâ ipsorum manu lacerata lex est, & non pervenit usque ad finem judicium.

Sed mundi sunt oculi mei ne videant malum: respicio super iniqua agentes , & si taceo devorante impio justiorem se , non in æternum tacebo.

Judicium mihi propè est cum habitatoribus terræ, quia non fuit veritas , non fuit misericordia, non fuit scientia Dei in terra.

Et tunc intelliget justus in novissimis eorum, quandò fient in desolationem , & deficient , & evanescent , & in civitate Dei , velut somnium

surgentium, ad nihilum redigetur imago illorum.

4. Filii hominum usque ad ultimam vitæ metam
gravi corde, diligentes vanitatem, & quærentes
mendacium.

Fili hominum sic dormiunt somnum suum,
somnum profundum, somnum ferreum in vitæ
deliciis.

Sed tunc, cùm illuminabit illuminans terribi-
liter à montibus æternis, serò nimis turbati, sur-
gent insipientes, quandò tempus ultrà non erit;
nihilque prorsùs invenient viri illi divitiarum in
manibus suis, per quod placere jam possint qui
de cœlo auditum faciet judicium.

Exi ergo, dum tempus supereft acceptable;
exi, fili mi, de Babylone magna, ne particeps sis
delictorum ejus, ne de plagis ejus accipias.

Mox, mox in die quâ nescit, in die quâ non
sperat, quantum glorificavit se & in deliciis fuit,
tantum dabitur illi tormentum.

Extrema gaudii ejus subito luctus occupabit, &
simul congerentur super ipsam plagæ omnes su-
roris iræ Dei, mors & fames, & dolor & pavor,
& ignis qui non extinguetur, & vermis qui non
morietur.

5. Exi, fili, festina & salvare; exi, quia iniqui-
tas ejus mox finem dabit ei; exi de civitate ubi
fides contradictionis, cuius in medio labor &
injustitia, & super muros ejus die ac nocte cir-
cumdat iniquitas.

Dignosce mores gentis perversæ ex Prophetis, quorum voces contempserunt, quorum minas irriserunt.

Ibi viri linguosi, & injusti, & superbi, & mali, totâ die constituentes prælia :

Acuentes linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum :

Cogitantes assiduè supplantare gressus justorum in simplicitate ambulantium, & extendere funes in laqueos, & juxta iter illorum scandalum ponere.

Ibi simul sunt adulatores & adulatrices, qui consuunt pulvillo sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, sed maximè sub capite floridæ juventutis, ad capiendas animas :

Ibi sunt qui confortant manus peccatorum, ut non revertantur à via sua mala :

Ibi sunt linientes luto absque temperatura conscientiæ parietem; nec advertunt quia mox dabuntur è cœlo imbres inundantes, & lapides grandinis prægrandes irruentes, & procellæ ventorum dissipantium; & evanescet littura, & cadet ædificium, & revelabitur in ignominia fundamentum ejus.

6. Ibi spernitur & irridetur filiorum Dei pusillus grex à filiis hominum terras & fluvios absorben- tibus præ multitudine :

Ibi rectus in hominibus non est : omnes insidatores : vir patrem suum ad mortem venatur :

Ibi malum manuum suarum dicunt bonum : ibi magnus loquitur desiderium animæ suæ, & turbatur pro desiderio ejus justitia.

Qui optimus in eis est, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe.

Ibi non est credere amico, non est confidere in duce :

Ibi filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam :

Ibi & vir habet custodire claustra otis sui ab uxore : ibi inimici hominis domestici ejus :

Ibi filii desertores, facientes consilium, & non ex me ; ordientes telam, & non per spiritum meum :

Ibi qui sperant & fiduciam habent in umbrâ Ægypti, in fortitudine, in potentia, in gloria & divitiis seculi :

Sed hæc spes mox erit in eis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti hujus in ignominiam & in opprobrium.

7. Ibi populus ad iracundiam provocans, hæc domus exasperans, ibi filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei :

Qui dicunt videntibus, Nolite videre, & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt,

loquimini nobis placentia, videte nobis errores,
auferte à nobis viam strictam, declinate semitam,
cesset à facie nostra sanctus Israel.

Ibi & qui ex otiositate & quasi ludentes inquiunt: Venite, & videamus quis sit sermo egrediens à Domino; & veniunt, & sedent, & audiunt sermones, & non faciunt eos.

In canticum oris sui vertunt illos, nec minùs ardenter passiones & desideria sua prava sequitur cor illorum:

Et verba Dei illis sunt quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: audiunt, & non faciunt.

Sed vae irridentibus verbum Dei, quia mox experientur quām durum & amarum est dereliquisse & sprevissē fontem vitae, panem sanctum, aquam vivam salientem in æternam vitam!

Vae, quia mox turbabuntur & movebuntur sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorabitur!

Vae, quia mox conteretur umbra Ægypti & fortitudinis ejus comminuetur mundus ille sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, nec invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus ad refocillandam animam illorum à fritegore & nuditate, vel hauriatur aquæ guttula quæ possit restinguere sitim divitum cruciatorum in flammis!

¶ 8. Non sic filii Dei. Fili mi, filii Dei non sunt

de mundo , sicut nec ego fui de mundo , etiam dum in mundum veni , & in mundo fui.

Mundus suos duntaxat novit diligere , nec solum non diligit filios Dei , quia non sunt de mundo , sed odio habet , sicut & me priorem odio habuit.

Gratis odio habentur filii Dei à filiis hominum , & despiciuntur ab eis , sicut & ego odio gratis habitus sum & contemptus , dum ipsos beneficentiâ cumularem quotidiè , pertransiens benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo , & quiunque detinebant à qualicunque infirmitate.

Filii Dei plorant , & flent , & contristantur , quando mundus gaudet & tripudiat ; sed tristitia illorum ea est quæ in corde sapientis invenitur , quæ mox vertetur in gaudium.

Filios Dei persecutur mundus , & maledicit propter me , & usque eò transit ut contra eos mentiens dicat omne inexcogitabile malum ; sed horum calumnias , & oppressiones , & injusticias , & contemptus mox in copiosam mercedem , & æternam exultationem in cœlis , transmutabo.

9. Filii Dei non vincuntur à malo , nec dicunt de contradicentibus & inimicis , Sicut fecerunt nobis , sic faciemus eis ; sed vincunt in bono malum : cùm patiuntur , non comminantur , sed sustinent : cùm odio habentur , non odio habent , sed diligunt : cùm maledicuntur , non maledicunt , sed benedicunt , & orant , & flent pro calumniantibus

& persequentibus: hi sunt veri filii Patris mei.
Filiī Dei cruci mæ adhærent in silentio &
pace, in medio odientium pacem, odientium
bona, & fiunt sicut homines non habentes in ore
suo redargutiones.

Non statim eripi de manu inimicorum, non
juxta preces & gemitus de vita hæc ad meliorem
transferri videbis filios Dei; sed sic probat eos ad
aquas contradictionis, sic sanctificat eos in veri-
tate, sic in medio fluminum inundantium perficit
eos Pater, servans illos, quemadmodū rogavi pro
iis transiens de mundo ad ipsum.

Filiī Dei ingemiscentes quotidiè, euntes eunt
& mittunt semina sua, & patienter ferentes ex-
pectant, velut agricolæ, pretiosum fructum terræ,
donec accipiant temporaneum & serotinum, do-
nec venientibus cum exultatione & portantibus
manipulos suos, in sinum detur mensura promissa,
conferta, coagitata & supereffluens.

10. Filiī Dei tribulationes patiuntur, sed non
angustiantur: aporiantur, sed non destituuntur:
persecutionem experiuntur, sed non derelinquun-
tur: dejiciuntur, sed non pereunt: mortificatio-
nem meam in corpore suo circumferentes, glo-
riantur in tribulationibus suis.

Filiī Dei in medio mundi, mortui sunt, me-
cum per baptismum in mortem consepti sunt,
& vita illorum abscondita est in Deo, quemadmo-

dum & mea fuit, dum apud homines conversarer: dumque vivunt, jam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est.

Fili Dei pacifici sunt: filii Dei non noverunt resistere malo: parati fugere persecutionem, de civitate transeunt in civitatem, de patria ad extraneos, sicut ipse è manibus Nazarenorum concivium meorum, qui me præcipitandum ducebant, evasi; sicut jamjam lapidandus à Judæis abscondi me, & exivi de templo.

Sed tunc cùm venit hora eorum, ex voluntate Patris, mecum pariter firmant facies suas, eentes ad crucem; & velut oves, tradunt sese portandos ad victimam, obmutescentes.

II. Filii Dei non quærunt gloriam suam, sed gloriam Dei & Domini sui, pro illa amplianda semper parati ad opprobria, parati ad cruces.

Sed & tunc cùm glorificari Deo placuit in illis, tota gloria hæc fideliter à canalibus mundi cordis, ad primævum fontem suum transmittitur.

Sic qui fugeram rapturos me, & facturos Regem extra consilia Dei, quia quæ sunt ei placita feci semper, nec sedem triumphalem super asinam & pullum intrans in Jerusalem juxta prophetiam, nec Hosanna Regi Israel conclamatum recusavi.

Fili Dei non alta sapiunt, sed timent: non sublimia quærunt, sed humilibus consentiunt: non sunt prudentes apud semetipsos, sed simplices sunt

auditores verbi & factores ; simplices in malo, prudentes in bono

Filiī Dei non sunt inanis gloriæ cupidi , non invicem provocantes , non invicem invidentes.

Patientes sunt , benigni , mansueti , non æmulatores , non agentes perperam , non inflati , non ambitiosi , non quærentes quæ sua sunt , non iracundi , non cogitantes malum.

12. Filiī Dei , si oporteat , eligunt magis servi fideles inveniri Domini sui , quām hominibus placere : malunt impropterum Christi & afflictionem populi Dei sustinere , quām temporalis peccati habere jucunditatem.

In carne ambulantes , non secundūm carnem ambulant : spiritu vivunt , spiritu & ambulant.

In carne ambulantes , corpus suum castigant , & in servitudinem redigunt , carnemque suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis.

Filiī Dei dignoscuntur à fructibus : fructus spiritū in illis sunt charitas , gaudium , pax , patientia , benignitas , bonitas , longanimitas , mansuetudo , fides , modestia , continentia , castitas.

Absit illis , in terra rigata sudore , lacrymis & sanguine meo , gloriari nisi in cruce mea : per me mundus ipsis crucifixus constanter est , & ipsi crucifixi sunt mundo.

In charitate radicati & fundati , perstant immobiles , supportantes invicem , donantes invicem ,

alter alterius onera portantes , solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

Non judicant , ut non judicentur : non condemnant , ut non condemnentur : & si judicant , non secundum faciem judicant , scientes quod non juxta intuitum hominis ego judico , & quia homo videt tantum ea quae parent , Dominus autem intuetur cor.

Vox Discipuli.

13. O DOMINE JESU , qui solus potes de viis filiorum hominum reducere me in viam filiorum Dei ! ô sancte & verè , qui solus habes clavem David :

Qui aperis & nemo claudit , claudis & nemo aperit : qui solus potes revocare me de via descendientium in Jericho ad viam ascendentium in civitatem sanctam , & sic perficere gressus meos in semitis tuis , ut non moveantur à sacris passibus tuis !

Vias illas sanctas filiorum Dei , vias illas tuas , verè tuas quas calcaverunt pedes tui demonstra mihi , & semitas tuas quas aperuisti & complanasti præpotentibus vestigiis tuis , edoce me.

Errantem & devium in solitudine , in inaquoso , esurientem & sitientem , & in memetipso deficien- tem , reduc me in viam civitatis habitationis .

Humiliatum in vanis laboribus cor meum & infirmatum

infirmatum educ de tenebris & umbra mortis , &
omnia vincula ejus dirumpe .

O Domine ! da mihi sedium tuarum assistricem
sapientiam , & noli me reprobare à pueris tuis ;
nam etsi quis erit consummatus inter filios homi-
num , si ab illo absfuerit sapientia tua , turbabitur &
movebitur sicut ebrius , & sapientia ejus omnis in
nihilum computabitur .

14. O qui consubstantialiter unigenitus es Dei
filius , imago & sapientia patris , verbum Deus
factum caro , nec cœlos linquens , descendens in
sinum Virginis , & peregrinus in terra , simul &
sedens in gloria Patris !

Primogenite in multis fratribus , primogenite
ex mortuis , & in omnibus primatum tenens , in
quo complacuit patri omnem plenitudinem in-
habitare , quem testificata est vox delapsa de cœlo
à magnifica gloria , audiente Apostolorum selecto
ternario !

Notam fac mihi viam in qua ambulem , quis
ad te levavi animam meam .

O misericordissime Jesu ! da locum inter fratres ,
pro quibus clamore valido & cum lacrymis orate
tibi complacuit in diebus carnis tuæ , inter fratres
quos tibi aggregare non es dignatus :

Super quorum singulos plorare dignatus es non
minus ardenter in carne fraterna , quam olim
Joseph stupentibus fratribus manifestans sese .

Q.

Exhibe me miserum, per illas ipsas lacrymas tuas, dignum tam sanctâ, tamque mirabili fraternitate: doce me tecum facere voluntatem patris in omnibus: tecum da mihi obedire usque ad mortem.

O Fili, per quem complacuit Patri reconciliare omnia in te, pacificans per sanguinem crucis tuæ, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, per quem aliquandò alienatos & inimicos, non modò reconciliavit nos Deus in corpore carnis tuæ per mortem exhibere nos sanctos & immaculatos, sed & per quem hanc superaddidit immensam charitatem, ut filii Dei nominemur & simus!

Da mihi inter filios illos computari qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

15. O Fili, qui cùm in forma Dei esses, non rapinam arbitratus es esse te æqualem Deo, sed temetipsum exinanivisti, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:

Qui ovem errantem & perditam tam piè venisti quæsiturus, ægrotantem & malè habentem tam piè oleo charitatis unxisti, qui filium è regione longinqua reversum & pœnitentem tam indulgenter suscepisti!

Post te dignare & servulum tuum, etsi indignissimum, admittere per ineffabilem illam misericor-

diæ dignationem , & inter illos Dei filios , quos dispersos ut congregares in unum in cruce moriturus venisti computare.

O Fili Dei facte fili hominis ! transmuta hominem peccatorem , filium hominis peccatoris , in filium adoptionis :

Fac ut verè renatus per infusionem ignis & spiritū , depositoque omni fermento nequitiae , malitiæ & superbiæ , induar novum hominem :

Induar te , ut non ultrà in me , sed tibi soli , in te solo vivere mihi sit , in hoc seculo & in futuro , in tempore & in æternitate , in deserto peregrinationis & in terra promissionis . Amen.

C A P U T X.

Bona Vita.

Vox Christi.

I. **D**ISCE vivere , fili mi : res magna est scire vivere.

Non qui benè se pascit benè vivit , ut aiunt in mundo homines vani & corrupti : sic mentitur iniquitas sibi : sed qui bonum facit , hic vivens est.

O quām multi nomen habent quod vivant , & mortui sunt !

Non vivit qui superbiâ inflatur , qui luxuriâ sordidatur , qui invidiæ , odii , & pravæ voluntatis inficitur pestibus ; sed vitam confundit , & habitat in regione umbræ mortis .

Hic vivit qui vivit Deo , vivit sibi , vivit proximo .

Ut vivas Deo , vive humiliter : ut vivas tibi , vive ordinabiliter : ut vivas proximo , vive sociabiliter :

Ordinabiliter , ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas & in conspectu Dei & in conspectu proximi , cayens & tibi à peccato , & illi à scandalo :

Sociabiliter , ut studeas amari & amare , blandum te & affabilem exhibere , supportare non solum patienter , sed & libenter infirmitates fratrum tuorum , tam morum quam corporum :

Humiliter , ut & in horum omnium fidelis observatione , spiritum vanitatis studeas exufflare ; & intus pulsanti animi elationi consensum dengans , memor sis dicere : Quod debui facere feci , servus inutilis sum .

2. Provide ut in his quæ pateris verè patiens inveniaris , sive patiaris à teipso , sive patiaris à proximo , sive patiaris à Deo .

Dum pateris à teipso , pœnitentiæ austерitatem noli corrumpere : dum à proximo , noli vinci in vexatione alienæ malitiæ : dum à Deo , noli

contristari sub flagello correctionis paternæ.

In eo quod à te pateris, corde pleno & voluntate perfecta offer sacrificium tuum:

In eo quod à proximo sustine patienter, ut in patientia possideas animam tuam, ut in patientia fructum afferas:

In eo quod à Deo, sustine sine murmure, & cum gratiarum actione, paternam probationem, mox unctione pleniori munerandam.

Scito, fili, quia non potes Dei amicus fieri, nisi anteā sis tentatus, & per temptationes multas probatus.

3. Sancti omnes in hoc Deo placuerunt, quia per tribulationes multas transierunt fideles.

Infideles, qui temptationes non suscepserunt cum timore Domini, qui impatientiam & impropterium murmurationis protulerunt contra Dominum, exterminati sunt ab exterminatore, perierunt à flatu adurenti serpentis igniti, antequām fines terrae promissionis attingerent.

Noli ulcisci te pro his quae pateris, sed reputa peccatis tuis hæc ipsa supplicia minora esse.

Flagella Domini ad emendationem, & non ad perditionem tuam, evenisse confide.

Sed noli tu tentare Dominum, ponere tempus miserationi ejus, & in arbitrium tuum diem constitvere illi.

Hic enim sermo non est qui misericordiam pro-

vocet, sed potius qui iram excitet & furorem accendat.

Expecta humilis consolationem: indulgentiam & veniam tuis lacrymis postula.

Humilia illi animam tuam, & in spiritu humiliato dic cum multis fletibus Domino, ut secundum voluntatem suam, sic faciat tecum misericordiam suam.

Vox Discipuli.

4. IMBUE semper, Domine, cor meum & spiritum meum rore sancto doctrinæ tuæ: vox tua sola sonet in auribus præcordiorum meorum, ut discam à te sustinentiam, patientiam, mansuetudinem & humiliatem.

Hoc à te Discipulos tuos discere specialiter intendisti, quibus non legimus te unquam dixisse: Discite à me mortuos fuscitare, siccis pedibus super maria ambulare, etsi fuscitandi mortuos & peccatores mirabilem illam, & necessariam apud homines, qui nisi signa vidissent non credidissent, illis ipsis tribueris potestatē pro stabiliendo evangelio regni Dei.

Sed hoc specialiter invenimus te dixisse: Discite à me quia mitis sum & humiliis corde: in hoc altè temetipsum exemplar prædicasti: non miraculorum artem, sed humilitatis & mansuetudinis exercitium professus reperiris magister, non in stu-

pendæ & sublimis potentiae magisterio, sed in famulatus & servitii humillimo ministerio:

Qui non ministrari voluisti veniens in hunc mundum, sed ut ipsem ministrares, & ut essem inter Discipulos tuos velut ministrator venisti.

Nec tantum aquas ministrares ad lavandos pedes illorum, sed & animam & corpus tuum, totumque te ministrares, in redemptionem, in pretium & sanctificationem peccatorum.

5. Sic, sic non verbo & linguâ solùm, sed opere & veritate docuisti nos, benignissime Magister & Domine, usque ad altissimum gradum doctrinam hanc sanctam tuam:

Verè tuam, quam specialiter sic vocare tibi complacuit, verè tuam, ex affectu quo temet ipsum exinanivisti formam servi accipiens; quo quæsus ad regnum, in montem solus fugisti; quo ad probra quæsus, ad patibulum, ad opprobria, sponte temet ipsum obtulisti:

Verè tuam, quam ex utero professus inveniris in Virgine Matre, quam præ cæteris virtutibus in ipsa splendescere voluisti, & visibilius exhiberi, dum Matrem sanctam illam, Matrem Domini, ad Matrem servuli se conferentem in montanis præmonstrare voluisti:

Dum Virgo conjugatam festinavit adire: dum ancillam domina, deipara mox futura Prophetæ genitricem venit quæsitura, dum mulier quacum

Dominus habitabat, quæ erat Verbi carnis facti tabernaculum & sanctuarium Dei, mulier benedicta inter & super omnes mulieres, humiliter accessit mulierem adjutura bajulantem in utero nuncium & præcursorem tuum :

Tuam verè, ex ore manantem, & ex corde, confirmatam & opere, quam nascens exhibuisti, absconditus prædicasti, prædicans exaltasti, moriens consummasti :

O Jesu ! & mea quoque sit amore, & prædilectione, & incessabili imitatione !



CAPUT XI.

Humilis & justa discretio.

Vox Christi.

I. **F**ILI, multi à peccatis proximi turbantur, commoventur & irascuntur.

Sed malè apta medela, ira & commotio ad fratris peccantis correptionem.

Argue in lenitate : in charitatis abundantia multa, in compatiensi humilitate infunde oleum & vinum super aliena vulnera, confusus & gemens pro tuis.

Noli quasi inimicum existimare peccantem proximum tuum, sed corripe ut fratrem.

Quære mihi fratrem lucrifacere in pace , pa-tientia & charitate.

2. Sæpè fallitur homo : ideò qui vivit sub jugo meo , memoretur mandati mei , in quo sibi erit mira pax & tranquillitas : nolite judicare : nolite condemnare.

Quippè , quomodo poterit homo aliter judicare quàm secundùm faciem ? quomodo justum judicium judicare , qui non intuetur cor , & qui nil videt nisi à foris ?

Quomodo valebit aliena corda scrutari , ut justum judicium ferat , qui vel sui ipsius nequit tenebras penetrare ?

Cave ergo ab injustitia cogitationum , & in te solum justæ redargutionis severitatem dirige , ut quotidiè magis ac magis emundes conscientiam tuam.

3. Quàm multi vitium inquietudinis , virtutem volunt vocare sollicitudinis , & sub prætextu justitiae , quandoque crudeliter agunt , nec attendunt !

Quàm multi alii remissam segnitiem , mansuetudinem esse credunt , & quod ex torpente negligētia omittunt , indulgentiæ pietatis falsò tribuunt !

Illi nemini volunt displicere , omnes æquanimiter portare affectant , sed decipiunt & decipiuntur , & quantò hominibus placent , tantò fiunt Deo odibiles.

O quàm expetenda tibi suppliciter à Patre lu-

minum prudentia , quæ zelum dirigat ! quàm ardenter postulanda discretio in arguendo , ut qui increpare cogitur , simul obsecrare non ccesset in omni patientia !

4. Sed & quàm necessaria fortitudo speculatori domûs Israël , ut animam suam liberet , in annunciando impio , ex ore Dei , ut se custodiat ab itinere suo !

Væ qui pro justa correptione lactant peccatores in desideriis animarum suarum !

Væ qui per circuitus & ambages doctrinæ tenebricosæ , pulvinar supponunt sub cubito peccatorum , quia potentes & magni sunt :

Qui pondus & pondus , mensuram & mensuram habent , solvunt magnates , ligant parvos & pauperes ! abominatio utrumque ante me .

5. Attende & recogita sæpiùs quanta sanctitas exigatur in ministerio sacerdotali , quanta sapientia , quanta fortitudo , quanta patientia , quanta gravitas , quanta benignitas :

Quàm altæ perfectionis status sit novi fœderis sacerdotium : quantâ veneratione , & reverentiâ , & amore , & obsequio dignum sit :

Quàm justum ut illi habeantur abundantiùs in charitate , qui laborant inter fratres labore evanglico , & præsunt illis in multa sollicitudine , & in charitate inextinguibili monent eos :

Quàm æquum & salutare concordiam & pacem

habere cum eis , & eò usque revereri ut si (quod absit) ex fragilitate deliquerint, sanctificatio sacerdotii & ministerii ipsis amplissimum pallium fiat, quo delictum operiatur hominis peccatoris.

6. Non super cathedram Moysis , sed super Ecclesiæ candelabrum , & sedem sanctam meam sedent novi foederis Sacerdotes. Quæcunque igitur dicunt audi, fili mi ; & si quandoque inventiantur qui dicunt & non faciunt, tace ut filius benedictus , & ingemisce apud Deum pro lepræ paternæ curatione.

Noli revelare , noli irridere nuditatem ebrii patris, ne maledictum incurras cum filio irrisore ; sed cum piis fratribus retrorsum incedens , operire sollicitus sis quod suspicere nefas est : operi in silentio scandalum sanctuarii , & luge in corde tuo luctu amarissimo , quia jam abominatio est in loco sancto , sic ut populus sic Sacerdos.

Semper tene verba mea : *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Quàm longè à via pietatis ambulant qui isto irreverentiæ malo pleni sunt , qui Presbiteris humiliter subdi deditantes, facta eorum & dicta tumidâ & erectâ cervice non observant, sed dijudicant ; non venerando exaltant , sed spernendo subsannant !

Qui verè timent & verentur me, nullibi, nulloque praetextu cessabunt magnum & mirabilem

statum revereri Ministrorum meorum , quos posui regere Ecclesiam Dei , & mysteria sancta dispensare :

Qui secundūm mirum ordinem novam immortalem hostiam offerunt , qui jam non Aaron , sed æterni Sacerdotis vices gerunt , secundūm ordinem Melchisedech , quorumque ministerio ipsis Angelis tremendo , panis vitæ verus , caro & sanguis meus quotidiè in cibum & potum fidelibus præparatur .

CAPUT XII.

Magisterii Lex.

Vox Christi.

1. **F**ILI , præser semper subesse quām præses ; sed si præsis , diligentiam habe domūs cuicunque præs :

Sciens quia si quis suorum , & maximè domesticorum , curam non habet , computatur cum fidem negantibus , & infideli culpabilior aestimatur .

Sed dum spiritualiter præs , & summo illi curæ animarum officio intendis , ne impendas te totum in terrenis & infimis .

Scito quia regnum Dei quærere , evehere , propagare , hæc portio tua : cætera omnia adjicientur tibi .

Sed, si oporteat, provide, &c., si necesse sit, elige bonum administratorem, fidelem & prudentem: si infidelem te providisse evenerit quem non putabas, memor sis, & hoc tibi pro solamine sit, quem apud me & Apostolos meos, loculos habuisse evenerit.

2. Nulla ab illo regno ampliando abducat te peregrina & curiosa cogitatio: nulla jam manu aratrum tenentem avertat temporalis sollicitudo: nullo concutiat negotiorum turbatio: nulla coarctet terrenæ rei amissio.

Sed & qui administrat, dum sciscitur de singulis, & omnia scrutatur, caveat mordeti suspicionibus, moveri ad quæcumque perdita vel neglecta.

Væ qui de maximis & spiritualibus nullam aut parvam, de minimis & terrenis maximam & omnimodam curam habent & anxietatem!

Scito quia sicut rivos quâ fluit cavat terram, sic discursus temporalium conscientiam rodit:

Et sicut in agros non exurrit torrens sine læsione satorum, ita sine vulnere mentis nequeunt terrena tractari.

Ex his multa oportet nescire, plura dissimulare, nonnulla obliisci, sed si te ignorare mores & studia tuorum evenerit, & vitia domûs tuæ ultimum scire, cave ne sat vigil & providus inspector extiteris.

Nec sis austerus , nec sis dissolutus :

Austeritas infirmiores fugat , odibilem facit ,
oneri est :

Levitas familiaritatem inducit : utraque con-
temptui est.

3. Frænanda lingua præceps , maximè in con-
vivio : imò & semper oris custodia pernecessaria
est , sed quæ affabilitatis gratiam non excludat.

Inter seculares , nugæ si ferendæ interdum
fortassis , saltem referendæ nunquam.

Quin potius ipsis cautè & prudenter interve-
niendum , prorumpendo in serum quid , quod non
modò utiliter , sed etiam libenter audiant otiosi .

Quo in altiori gradu positus sedes , eò altius iis
exemplum debes qui sub te sunt.

Altissima merces manet eximia exempla illa
morum incorruptorum , quæ miratus est in terris
sapiens Rex Israel , dicens : Quis est hic , & lau-
dabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua .

Sed & supermirabile fac , fili mi , & præclaris
moribus illis adde & duo rara in terris .

Acceptationem personarum fuge , non facies
peccatorum sumens , sed causas meritorum per-
pendens :

Et à facilitate cave credulitatis , per quam
hominum omnium , sed imprimis magnorum ,
præoccupantur animi & affectus , oriuntur iræ ,
innocentes addicuntur , justi opprimuntur , dam-

nantur absentes, præjudiciaque innumera defluunt
in pusillos, & timidos, & pacificos.

Vox Discipuli.

4. O DOMINE! provide Ecclesiæ Sponsæ tuæ
omni tempore sanctos & veros Pastores, qui nun-
quàm quærant quæ sua sunt, sed quæ sunt regni
Dei.

Dare ne cesses qui non occupentur in pascendis
se metipsis, qui lac comedere & lanis operiri pa-
rùm current, gregem pasci toto corde procurent.

Pascant verbo, pascant opere, pascant exemplo.

Noverint in patientia quod infirmum est conso-
lidare, quod confractum est alligare.

In charitate sanare quod est ægrotum, quidquid
deviatur reducere, nihil vile, nihil abjectum re-
putare, quidquid periit quærere.

Nunquàm cum austерitate imperare, nunquàm
cum potentia, nunquàm in amaritudine.

Da Pastoribus spiritum mansuetudinis & leni-
tatis, ovibus obsequii spiritum & cor docile, ut
unum semper sit ovile tuum unitate sancta & cha-
ritate perfecta, tibique indissolubiliter perfet uni-
tum, qui summus & unus & verus es Pastor.



CAPUT XIII.

Linguæ Mala.

Vox Magistri.

1. **F**ILI mi, tutius est discere, quam docere; tacere, quam loqui.

Etiam in scholis sapientium mundi hujus receptum fuit ut diù tacentes loqui discerent Philosophi quidam.

Sapiens novit tacendi tempus, novit & loquendi:

Loquens novit alligare sermonem suum ne luxuriet, ne lasciviat, & in multiloquio, velut amnis exundans, lutum colligat.

Sit pondus in sermone tuo, modus in verbis tuis: esto restrictior, & ripis veritatis, gravitatis, necessitatis & charitatis coerce linguam tuam.

Fuge otiosa verba & vana, pro quibus habebis rationem reddere in die judicii.

2. Sed & silentium tuum fructuosum & negotiosum sit.

Multis & miris contemplationibus anima Deo devota in silentio mirabiliter pascitur.

In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quarens.

Ne prius respondeas quām audieris , & in medio sermonis ne adjicias loqui.

Mors & vita in manu linguæ.

Cor sapientis erudit os ejus : cor stultorum in ore ipsorum : os sapientium in corde illorum.

Per diem judica , argue , increpa te intra te , & in nocte meditare cum corde tuo , & scopa spiritum tuum.

Pone custodiam ori tuo , & ostium circumstantiæ labiis tuis , ut non declines in verba malitiæ.

Qui custodit os suum & linguam suam , custodit ab angustiis animam suam.

3. Verba susurronis quasi simplicia , & ipsa perveniunt ad intima cordis.

Zelus amarus , contentiones , detractiones , bella & lites non ex alio nascuntur quām concupiscentiarum fonte , quæ militant in corde & membris peccatorum.

Si quis in verbo non offendit , hic perfectus est vir.

Naves , cùm magnæ sint , circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigenis voluerit , ita & lingua , modicum quidem membrum , & magna exaltat.

Lingua dirigit summas res , summa negotia , summa bona , summa mala.

Quantulus ignis magnam sylvam incendit ? & lingua ignis est , universitas iniquitatis.

Mala lingua inflammata est à gehenna , inquietum malum , plena veneno mortifero.

Sapiens & disciplinatur ostendit ex bono regimine linguæ bonam conversationem suam.

Sapientia quæ desursum est , in mansuetudine multa dignoscitur.

Ex ore sapientis nunquam manant aquæ amaræ , nunquam in corde ejus latitat zelus acerbus & turbulentus , nunquam invenitur in lingua ejus fel contentionis , æmulationis & malignitatis.

Si quis autem putat religiosum esse non refrænans linguam suam , sed seducens cor suum , hujus vana est religio.

CAPUT XIV.

Mentis errores , & duritia Cordis.

Vox Christi.

1. **M**ULTI omittunt quæ oportet facere , & leviora se&tantur : meditantur , jejunant , legunt , psallunt & orant , & tamen sol occidit super iracundiam illorum , nec advertunt quia fermentum illud malitiæ veteris & nequitiæ totam massam corrumpit.

Nunquid ideo & mundani à felle devotorum cavendum imprimis tam libenter dicitant ?

Ovae qui, sicut Achan, anathema sic in occulto cordis effodiunt, in odium, & opprobrium, & scandalum Evangelii regni Dei, quod totum est in mansuetudine & humilitate!

Multi decimant mentam & rutam, cum Pharisæis, & omittunt misericordiam & judicium:

Multi excolant culicem, & camelum glutient:

Multi iter sabbatti volunt ex zelo abbreviare, qui non satagunt inter innocentes lavare manus suas, in bonis sanctificatis dispergentes, ut par est, & dantes pauperibus iū justitia.

2. Audi, & indicabo tibi quid sit bonum, & quid requiratur à te: utiquè facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Cave ergo ne, sicut Scribæ, anethum decimes in extensione mandati, ad leviora severus, dum relinquis ipsum mandatum & animam legis, justitiam & misericordiam.

Justitiam sectaberis, si quidquid non vis tibi fieri, alteri non facias: misericordiam, si quæ vis ut faciant tibi homines, & tu facias illis.

Evangelii viam tenebis, studens esse perfectus sicut Magister tuus, si dum sine querela conversaris, totâ sollicitudine caveas ne quid intersit per quod graventur alii, aut in quo te ab illis portari oporteat: simul autem quidquid in aliis est one-

rosum, quidquid grave portare patientissimè neveris.

3. Multi aberrant à via regni cœlorum, etsi hanc viam coram hominibus videantur tenere.

Beati certè pauperes, quia ipsorum est regnum cœlorum! via paupertatis via est regni cœlorum.

Sed non hi pauperes spiritu sunt, qui ita pauperes esse volunt, & eo tantùm pacto ut nihil eis desit: qui sic diligunt paupertatem ut nullam patiantur inopiam: qui paupertatis nomen audent captare, pauperumque nomen retinere non verentur, sectantes commoda quæque, & exquisita, & mollia, & sensibus grata.

O quàm pauci sunt verè pauperes! quàm paucimedes, pauci humiles, pauci lugentes, & ex corde compuncti, pauci esurientes & sitientes justitiam!

Multos videre est tranquillos & mites, quandiu nihil dicitur aut agitur, nisi pro eorum arbitrio; sed patebit quàm longè sunt à vera mansuetudine, si levis admodùm oriatur occasio.

4. Multi ex propriæ infirmitatis experimento, multi ex certa scientia quòd nihil sunt, humiles sibi falsò videntur, & ore confitentur, qui parùm humiles corde, minus neverunt mundi gloriam calcare, quàm laudes latenter appetere, qui vituperia & judicia hominum plus intra se reverentur, quàm oculos Domini qui intuetur cor.

Sunt & qui quandoque facilè lugent in oratione; at paulò post adeò facilè solvuntur in risum, tam abundantanter in scurrilia verba & otiosa se effundunt, tam citò vilem consolationem admittunt, ut non sint de lugentibus illis quibus consolatio divina promittitur.

Sunt qui zelantes justitiam inaniter contra alios æstuant, seipso indulgentissimè palpant: de proximo judicant absque misericordia, de seipsis cum plena venia, & semper fœcunda excusatione.

5. Sunt & alii, quod irremediabilibus lacrymis plangendum, qui etiam postquam illuminati sunt, dilexerunt magis tenebras quam lucem:

Qui postquam gustaverunt donum cœlestis, participes facti sunt Spiritus sancti, adhæseruntque verbo meo, gustantes virtutes seculi venturi, ad falsa mundi gaudia transeunt, mendacio fidem præbent, in spem & sollicitudinem præsentis vitæ in totum transeunt & divertunt:

Qui à via stricta ad latam transmeant, à jugo Domini deficiunt, & ad Ægypti ferream fornacem revertuntur:

Qui postquam spiritu benè ceperunt, ad carnem convertuntur, & carne consummantur

Qui à verbis æternæ vitæ deficientes, eò usque recedunt à me, ut in insipientia sua, quod de charitatis meæ suavissimo dono Capharnaitæ dixerunt, hoc dicant de cruce & jugo sancto meo: *Durus est*

hic sermo, quis potest eum audire?

6. Sed non unâ die transit peccator in profundum malorum, verùm minima spernens paulatim decidit, & minutatim & pedetentim à via sancta declinat.

Cui diù assueto bonis graviter peccare contingit, huic primùm adeò importabile jugum peccati videatur, ut in infernum vivens descendere videatur.

Processu temporis, heu! non importabile, sed tamen grave aestimatur, & in hoc non parvus descensus est.

Paulò post & leve iudicat, indè crebris iictibus verberatus, nec sentit verbera, nec vulnera plangit.

In brevi spatio, non solum jam non sentit, sed & placet & suave fit, quod priùs asperum & amarum cordi fano probatum est.

Demùm dicitur in consuetudinem, & non modò malum placet, sed assiduè placet, nec pravum cor abstinere se potest.

Ad extremum nec avelli potest à puteo, qui super eum urget os suum, & consuetudo vertitur in naturam.

Superaddit & consummat peccator aversionem suam, dum factus supra modum peccans peccator, de vitiis quasi de virtutibus gloriatur.

7. Hoc demùm est superbiae culmen, in quo peccator mandanti resistens & mandatum conculcans, dicit malum bonum, & bonum malum,

lucem tenebras, & tenebras lucem; & sic omnia confundi cupiens pro modo nefarii desiderii sui, eò usque evertit sensum suum, ut in abscondito blasphemii cordis, jam velit non esse qui est justus & sanctus.

Hæc est ultima meta: voluntas non modo aversa à voluntate Domini, sed & ipsi contraria, in qua dixit impius in corde suo, *Non est Deus, non est qui requirat*; quasi qui est possit non esse.

Sic rapido cursu itur in cordis duritiam: cor durum jam semetipsum non exhorret, quia nec sentit.

Cor durum nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur: minis iracundiae Dei non cedit, flagellis ejus obduratur.

Cor durum ad beneficia ingratum est, ad interna gratiæ moventis consilia infidum, ad judicia Dei tremenda surdum, inverecundum ad turpia, impavidum ad salutis pericula:

Inhumanum ad humana, ad divina temerarium, præteriorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens, in profundo malorum contemnens, denique, nec Deum timens, nec hominem reverens.

Vox Discipuli.

8. O DOMINE! turbata est anima mea valde à facie impietatis & contradictionis, à facie falsitatis & pravitatis exundantis in terra,

A facie malitiæ colligi toto corde desidero:
Domine Jesu, tolle animam meam, neque enim
melior sum quam patres mei.

In gemisco regnum sanctum tuum intendens,
dum omnes video declinasse, simul inutiles factos
fuisse, ut ait Propheta, Pastores & oves defecisse,
lactentes & senes, nec esse qui faciat bonum, vel
usque ad unum:

Videns & infelicititer experiens, quia tam pauci
sunt qui corde pleno & perfecto regnum tuum in-
quirant, nec ego miser computari queam in illo
pusillo grege:

Videns quia nimis multi sunt qui diligunt te in
ore suo, & linguâ suâ mentiuntur tibi; justitiam
& charitatem omittentes, & vanis & superfluis
innitentes:

Exteriora quæque honorum & dignitatum in-
quirentes & zelantes: interiora perfectionis & ab-
negationis negligentes, fugientes, odientes:

In humanis scolorum neotericorum iudiciis spem
ponentes, contra judicium Dei manifestatum &
patens:

Dicentes videntibus: Videte nobis falsa & dul-
cia, nec mala velitis nobis prophetare:

Videns & quosdam frustrâ confidentes in falsis
virtutibus, & multiloquio spiritus vacuo: quosdam
(quod pejus est) in hypocrisi exterminantes facies
suas, caput quasi circulum contorquere affectantes,

ut

ut hominibus mirabiles videantur, & sic in mendacio dies suos Domino acceptabiles fore etiamnum præsumentes.

9. O Domine! miserere, & reduc peccatores quos venisti vocare in incomprehensibili misericordia tua, & quorum primus ego sum: dirige in veritate viarum tuarum gressus meos.

Fac me hoc eligere jejunium placitum tibi in quo dissolvere sollicitus sim omnes colligationes iniquitatis, verè diligere proximum, non constringere, non deprimere, non contristare fratrem, & omne onus gravans dirumpere, frangere esurienti panem, nudos operire, egenis hospitalitatem præbere.

Fac me toto corde ambularem in itinere mandatorum tuorum, in his omnibus fructibus esse quasi hortum irriguum à Domino, & sicut fontem aquarum cuius nunquam aquæ deficiunt.

10. Domine, Deus meus, ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitudine tua magna & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum, qui facis misericordiam in millibus.

Fortissime, magne & potens, Domine exercituum, magne consilio, & incomprehensibilis cœgitatu, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinventionum suarum:

Da veritatem domui Jacob, in qua in æternum

regnaturus venit Filius tuus Dominus noster Jesus:
da misericordiam filiis Abraham secundum fidem:
da quae jurasti patribus nostris à diebus antiquis.

O Domine, qui in veritate dixisti, Misericordiam volo; qui auferas iniquitatem, & transis peccatum reliquarum hæreditatis tuæ! ne immittas ultrà furorem tuum.

Revertere & miserere nostri: metam pone iniqutibus nostris, & projice in profundum maris præterita omnia peccata nostra.

11. Obduratos contradictores evangelii sancti tui castiga ad sanandum eos, & converte malevolos & ingratos filios, factos hostes crudeles.

Filii, pro dolor! quos enutrieras & exaltaveras, ipsi spreverunt te: ipsi ausi sunt, scelestius quam Sennacherib, impugnare & subsannare regnum tuum.

Sed tu, ô misericordissime Deus! ne tradas nos nefariæ doctrinæ gentis apostatricis, propter peccata & scelera nostra.

Ne derelinquas nos, nec sinas decipi antiqui serpentis insidiis, qui jam à seculo fanaticæ Abram superstitutionis, stupendique primi progressus illorum, post mille annos, in absoluto *antitheismate*, contra evangelium sanctum tuum cum infensori ira quasi solutus, videtur exurgere.

Ne permittas nos confidentes in te nexibus involvi serpentis mortiferi, qui primùm operiens

fatalem adventum suum recentiorum hæresum tenebrosâ caligine paulò ante aliud seculum , primum Ecclesiæ solius jugum spernens , mox Arii blasphemias renovans , in isto nunc demùm ævo pravissimo è latebris illis apertè prodiens , jugum quocunque , cultumque Dei omnimodum , elatâ fronte , totis tartareis viribus subvertere nititur.

Domine , Deus patrum nostrorum , tu es Deus in cœlo , & dominaris cunctis regnis gentium , in manu tua est fortitudo & potentia , nec quisquam tibi potest resistere.

Respice impietatem caput inter sidera tollentem : respice conantem ejicere nos de possessione sanctæ fidei , quam tradidisti nobis per Jesum Christum Filium tuum : Deus noster ergo non judicabis eos ?

In nobis quidem non est tanta fortitudo ut insipientium multitudini resistere valeamus , quæ irruit super nos , & operit faciem terræ ; sed cum ignoremus quid agere debeamus , hoc solum habemus residui , ut oculos nostros dirigamus ad te.

Audi dicentes : Linguam nostram magnificabimus , labia nostra à nobis sunt , quis noster Dominus est ?

Audi & vide quia lingua eorum gladius acutus , dentes eorum arma & sagittæ.

Exurge in adjutorium confidentium in te : deride eos , & comprehendantur in superbia sua.

Audi orationes servorum tuorum : ausulta ge-

mitus Sponsæ sanctæ tuæ; suscipe vota, & lacrymas, & suspiria nostra.

Suscipe simul oblationem cordium, mentium & animarum nostrarum: quidquid habemus, quidquid sumus, in animo contrito & humili ecce offerimus tibi.

Tua sunt illa omnia, & quæ de manu tua acceptimus, illa solum dare possumus tibi: peregrini enim sumus & advenæ, sicut omnes patres nostri, & dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora.

Sed scimus quod probes corda, & simplicitatem diligas; ideo in simplicitate cordis læti offerimus tibi illa omnia quæ tua sunt.

Offerimus simul & fletuum, & affectuum, & intentionum, & desideriorum copiam quam omnem habemus ex fluentis gratiæ tuæ.

Custodi in seculum hanc voluntatem cordis nostri: in spem & fidem, & amorem tui semper intendat mens nostra, æternumque in hac beata dilectione permaneat. Amen.



CAPUT XV.

Regnum Dei.

Vox Discipuli.

I. O TU cuius sapientiae & virtuti non est numerus, magne & mirabilis, qui numeras multitudinem stellarum, qui vocas eas, & dicunt, Adsumus, & omnibus eis nomina vocas:

Deus excelse & sublimis, habitans æternitatem, cuius sanctum nomen in cœlo & in terra, ante quem orbis terrarum est tanquam momentum stateræ, & tanquam gutta roris ante lucani quæ descendit in terram:

Qui facis Angelos tuos Spiritus & Ministros tuos ignem urentem, qui in Sancto habitas, in Sancto Sanctorum, & cœlo cœlorum, summe, omnipotentissime & magnificentissime!

Benedictus sis qui, cùm tantus sis, descendis ad nos, & tantæ celsitudini æqualis est benignitas tua!

O superadmirabilis misericordia! tu enim ipse es qui in tanta magnitudine dignaris venire ad nos, & habitare cum contrito & humili spiritu: tu es qui vivificas cor contritorum & spiritum humilium.

Tu juxta es iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvos facis: tu es qui amas animas

nostras, qui diligis nos, & nihil odisti eorum quæ fecisti, & parcis omnibus propter poenitentiam.

2. Non despicias neque deseris pusillum; quin tu es qui olim dixisti ad Samuelem, apparente fratre David majore: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, neque juxta intuitum hominum ego judico; homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.

Tu es qui semper rejecisti superbos; nec enim gigantes nominatos illos, qui ab initio fuerunt staturâ magnâ, scientes bellum, inter homines elegisti, ut viam disciplinæ invenirent, & sapientiam possiderent:

Sed parvulos vocas, ad parvulos est conversio tua, & sapientiam præstas parvulis.

Abscondisti mysteria tua magnis & sapientibus seculi, & revelasti ea parvulis.

Non fortia, sed infirma & contemptibilia mundi hujus eligere complacuit tibi, & clamantem audi mus: Sinite parvulos venire ad me.

Miserum, & pauperem, & mendicum homuncionem non præteris, sed in magnitudine tua suscipis illum, & clementer audis vocem ejus.

Dispersum congregas & reducis, sanas contritum corde, & alligas contritiones ejus.

3. Verè non sicut videt homo & tu vides, Domine Deus, nec cogitationes tuæ sicut cogitationes

nostræ , nec amor tuus sicut affectus nostri , sicut fluctuantes habitus nostri.

Miserere mei , Domine , in illa incomprehensibili misericordia & dignatione tua : miserere animæ meæ semper labentis ad exteriora & vana tam incertæ in propositis , tam sæpè ignaræ voluntatis tuæ beneplacentis & perfectæ , præ inconstantia & pusillanimitate sua.

Da mihi virtute corroborari in interiorem hominem , secundum divitias gloriae tuæ.

Da Christum habitare in corde meo , ut in charitate fundatus & radicatus , comprehendam cum Sanctis , quæ sit latitudo & longitudo , sublimitas & profundum amoris tui super nos :

Ut docear supereminenter scientiæ claritatem Christi , & implear in omnem plenitudinem Dei.

4. O Jesu , Præceptor summe ! veni in me , & doce me ; notam fac mihi viam in qua ambulem , eripe me de inimicis meis , ad te confugi , doce me facere voluntatem tuam .

Loquere , Domine , loquere , ô Verbum summum Patris ! quanto habes tu verba virtutibus amabiliora , saluti viciniora , accommodatoria pietati , intellestui promptiora , super omnia verba Doctorum & Magistrorum !

O quam dulciter ex ipso fonte bibuntur aquæ ! quam verè exclamat anima mea audiens verba

tua: Nunquam locutus est homo sicut hic homo;
& verè voces non hominis, sed Dei!

O verba omnem saporem habentia, fortibus
& infirmis, doctis & indoctis, sapientibus & insi-
pientibus convenientia! audiam te, Domine, ut
in verbis tuis meditatio mea sit die ac nocte, & in
his delecter sicut in omnibus divitiis.

Vox Christi.

5. **FILI,** à mundo avertere, stude regno Dei
intra te, & reseca vanas omnes mundanas & car-
nales cupiditates.

Radix malorum omnium cupiditas; malorum
æternorum, quia radix est peccatorum, scelerum
& delictorum; malorum præsentis vitæ, quia qui
appetunt, inserunt se doloribus multis.

Desideria inutilia & nociva mergunt hominem
in miseriam, & paulatim in interitum & perdi-
tionem.

Quantò plura ex his desideriis resecabis, tantò
ditior fies: qui nihil appetit de terrenis, hic dives
est: qui nihil vult quam quod habet ex voluntate
mea, ditior: cui ego sufficio, verè ditissimus in
terrīs est.

Crescit cupiditas inexplebilis ex appetitu terreni
expletione, attenuatur ex resecatione.

Dives est homo horum omnium quæ non ap-

petit; nec enim indiget iis quæ non desiderat: pauper est omnium quibus inhiat, quorum possessione & saturatione indigens est.

In terrenis eò amplius vacuum crescit in corde, quò multiplicantur appetitus, eò plenius est, quò minuuntur in ipso.

Semper egenus est qui varia cupit: dives multum qui nihil cupit.

6. Converte te ad cœlestia: conversatio tua in cœlis sit: tota sollicitudo tua sit regnum Dei quaerere.

In hac sollicitudine vera quies invenitur: tota fames tua sit de pane sancto regni Dei, quia hanc sequitur refectio dulcissima:

Tota sitis de justitia regni hujus, quam restinguit potus gratiæ suavissimus:

Totum desiderium in voluntate Dei beneplacente & perfecta, quia ex hoc plenè beatus & liber eris.

Sed egredere non tantum de mundo, sed & de teipso: exue te, & indu me, in vera abnegatione tui, in vera inquisitione mei.

Ego dives in retribuendo: cœlestia dabo pro terrenis; puras delicias mentis, pro volutabro carnis; pro bruti appetitū immolatione, ineffabilem gratiæ gustum; gaudium quod nemo tollet à te, pro momentaneæ delectationis abjectione; pro transitorio & levi beneplacito quod spernes, pacem

quæ exsuperat omnem sensum : dabo centuplum etiam in vita hac : ego sum qui dixi , & verba mea non transibunt quin compleantur.

7. Ego , si , relictis omnibus , paraveris mihi certum , tam familiari quam dulci consortio tuæ me inclinabo infirmitati , & inter brachia mea dormientem & sopitam animam tuam seponere non dedignabor quandoque.

Ego zelabo pro quiete illius , & sollicitè servabo illam , ne molestiâ & inquietudine à somno suavissimo deturbetur.

Ego sum qui adjurabo cæteras filias Jerusalem , ut non excitent dilectam , neque evigilare faciant quoadusque ipsa velit.

Ego dabo beatum somnum hunc qui non est in dormitione sensuum : magis autem est vigil sopor sensum interiorem illuminans.

Ego modò ineffabili , sancta aliqua vehementi & tamen simplici cogitatione præveniens animam tuam , à semetipsa abripiam eam ad me , eò usque ut mente fecedat , & communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi.

Ego elevabo illam ad altum illud silentium factum in cœlo in visione sancta quasi per dimidiam horam ; & in felici momento , non tantum morieris vitæ hujus omnibus mortiferis blandimentis , omnis libidinis sensui , omni impatientiæ aestui , omnibus superbiæ stimulis , omnibus sollicitudi-

num angoribus , omnibus curarum molestiis , sed & terrestrium memoria excedens anima tua , rerum se inferiorum & corporearum non modò cupiditatibus , sed & similitudinibus exuet in luce nova , eritque ei , me propitiante , pura mecum & quodammodo angelica dulcissima conversatio .

8. Rerum cupiditatibus non teneri vivendo humanæ virtutis est : corporum verò similitudinibus speculando non involvi angelicæ puritatis est : utrumque , divini munera est : utrumque , excedere , utrumque , seipsum transcendere ; sed longè unum , alterum non longè .

Si transilisti carnis oblectamenta , ut minimè obedias concupiscentiis ejus , nec tenearis illecebris , profecisti , separasti te .

Adde , quandoquidem annuo , & spirat spiritus , ita insuper elongare te , ut irruentia undique phantasmatu corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas .

Vigila , ora & postula cum suspiriis multis ut ingredi merearis in illam requiem , in illum locum quietis , secretum solitudinis , luminis serenum , habitaculum pacis .

Humiliter , sed perseveranter pulsa ad januam illius tabernaculi sancti , tabernaculi in umbraculum diei ab æstu , & in securitatem & absconzionem à turbine & à pluvia .

Eò minùs dignum te reputabis ingredi, quò ardentiùs desiderabis admitti.

Vox Discipuli.

9. O DOMINE! quid possum frigido corde, vilis & terrenus homo, nisi misertus fueris paupertatis meæ?

Omninò non potest capere ignitum eloquium, frigidum pectus: lingua amoris, ei qui non amat, barbara & extranea est, & sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

O quandò anima mea ad illos dulces & castos assurget veritatis amplexus! ô quandò in amore illius totà securitate ac suavitate quiescat!

O quandò inveniet gratiam in oculis tuis, & Sponse animarum sanctorum! & digna reputabitur quæ ad hanc pertingat felicitatem & gloriam!

Ah! tolle maculam, tolle rugam, & quidquid terrenum & carneum est, ut citò talis tibi exhibeat, quem non projicias à facie sancta tua.



CAPUT XVI.

Continuatio.

Vox Discipuli.

I. O AMOR sancte & caste, amor suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis quantæ & sinceritatis, per quem qui adhæret Deo unus spiritus sit cum ipso! ne despicias animam miserè tandi elongatam à te:

Quam pauperem factam nimis anticipaverunt misericordiæ tuæ, quam prævenisti perditam & errabundam in montibus, sitibundam ne repellas à fontibus sanctis tuis, quam prior dilexisti & quæsivisti, & inspirasti, ut quæreret & diligeret te.

Scio, optime & piissime Salvator, quotiam opus tuum perficies, manifestando ei te ipsum, & amorem ejus acceptando:

Scio quia diligis animas, quas ad imaginem & similitudinem tuam fecisti: diligis te in eis, quia omnia habes in te.

Sed ipsæ quæ omnia habent à te, in te solo debent diligere se: in typo imaginem & similitudinem, & non in se.

In se inquietudinem tantum, & miseriam, & afflictionem, & turbationem invenire est; in te

requiem & abundantiam, & consolationem, &
securitatem.

2. At nunquid peccatrix anima, prævaricatrix,
& sacrilega, per quam Templum Dei corpus
suum, tandiù, tam nefariè violatum est, ad sua-
vissimum jugum amoris sancti poterit aspirare?

Num, quæ naturæ suæ ingenuitatem, in im-
munditia & iniuitate, per turpes & criminosaſ
affectiones foedavit & commaculavit, quæ se tam
dissimilem, tam degenerem fecit per morum &
vitæ pravitatem, ad pristinum sublimitatis fasti-
gium restitui posse spes est?

O altitudo divitiarum miserationis & charitatis!
non tantum spes umbratilis est, sed & promissio,
nec est suspendere fidem: audio Prophetam, imò
audio verbum Dei in ore Prophetæ:

Si uxor recedens duxerit virum alium, nu-
nq[ua]d revertetur ultra? nunquid non polluta &
contaminata erit mulier illa? Erit certè.

Sed quām magnificus in miseratione & bonitate
Dominus! quantūm distant misericordiæ tuæ à
misericordia hominum, dum ibidem adjicis!

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis,
& tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.

3. Ergo anima, non tantum advena in terra
inimicorum, captiva & exul, concupiscentiarum
illecebris illecta, corpore carcerata, hærens luto,
carni in peccato conceptæ affixa, limo infixa, curiæ

confixa, distenta negotiis, contracta timoribus, afflita doloribus, erroribus devia, sollicitudinibus cruciata, suspicionibus inquieta, corpore quod corrumpitur aggravata, in spem in integrum restitutionis assurgere potest, & sancti fœderis renovandi cum Deo.

Sed & coinquinata cum mortuis, computata cum dormientibus in sepulcris, deputata cum his qui in inferno sunt, per viam amoris, per compendium dilectionis, ad nuptias Agni etiamnum admitti humiliter petere, & misericorditer poterit obtinere.

Per viam hanc, breviter, ad cœleste primum illud decus quod sibi originaliter inest, renovabitur spiritu mentis suæ:

Nec tantum novis coloribus venustabit & decorabit domum suam, sed & mutabit & reformat moribus & affectibus, ut fiat habitaculum dignum Deo.

Nec enim abolita est hominis primæva natura, sed vitiata: nec est domus ita diruta ex dæmonum septem habitatione, ut fortior armatus superveniens non sibi vindicet eam & mundet, & per perennem immorationem in vitam æternam custodiat.

4. Maria Magdalene, de qua exierant septem spiritus nequam, ipsa meruit ante alias prima tenere pedes resurgentis, & exultans adorare &

osculari in gloria novæ vitæ, quos paucis ante diebus sanguinolentos & lividos viderat cruci affixos, & depositos lacrymis irrigaverat mœrore confixa.

Ipsi & in Christi immolatione primum post Virginem Matrem locum habere datum est, & in manifestatione gloriæ, pariter post ipsam prima congaudere à mortuis resurgentem.

Sed & quæ erat in Naim civitate peccatrix, quæ unguenta habuit, pretiosissima effundens super pedes Jesu recumbentis, infusa torrente lacrymarum, etsi contrita & mœrens, non in terrore judiciorum æternorum constricta, steterit contremiscens, sed fuerit usque ad amorem & multum amorem progressa, non modo non culpatur, sed laudatur.

Vides hanc mulierem, remittuntur ei peccata multæ, quia dilexit multum: si cui minus dimittitur, minus diligit.

5. O superadmirabilis miseratio Domini nostri Jesu Christi, qui venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum! per hanc ergo dulcissimam viam, per iter suavissimum, animarum quæ olim factæ sunt ad imaginem Dei, promptissima ad primævum fontem suum deductio est, dilectio.

Deus charitas est: anima facta ad imaginem & similitudinem ejus, in amore præcellit.

In hoc solo pro modo suo, etsi non ex æquo,

poteſt responderē factori ſuo humana factura, & de simili muſuam reperdere vicem.

Et in hoc millies & millies benedictus ſis, Domine, quia ſi mihi irasperis, non ego ſimiliter redirascar, ſed pavebo & contremiſcam, & veniam deprecabor:

Si arguas, non redargueris; ſed ex me potius iuſtificaberis in sermonibus tuis:

Si judices, non iudicabo, ſed adorabo; ſi ſalves, ſi liberes, non quaeris ipſe ſalvari & liberari, qui ſolus ſalvas & liberas omnes beneplacitos tibi.

Dum dominaris, me oportet ſervire: dum imperas, me oportet parere; nec ſervo fas eſt à Domino ſervitium & obsequium exigere.

Sed cum amas, non aliud viſ quām amari.

Solus eſt amor ex omnibus animae motibus, ſensibus, & affectibus, in quo poſteſt creature ſuuo Creatori, rivulus æterno & immenso fonti refundere, undē manat & habet originem.

6. Et beatus qui ſic ſuae origini reddit amorem, quia quod plus retribuet, eò abundantiū fluent aquæ vivæ, aquæ ſalientes in vitam æternam:

Quod abundantiū fructus dilectionis fontali creditori persolvet, eò plus defluet charitatis profluviuſ, eò copioſiū baptizabitur anima ignis baptismō, & flamine ſpirituſ!

O amoris ineffabilis beneficentia, quæ ſervum facit amicum! jam non dicam vos ſervos, ſed

amicos, ait Dominus, si feceritis quæ præcipio vobis.

Non possumus servire, nisi præcepta faciendo, & cùm omnia fecimus quæ præcepta sunt nobis, certum est quia servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere fecimus: attamen & dum servimus, servi inutiles, servi non sumus.

Ubi enim amor, ibi libertas; & ubi libertas, servitus abest & excluditur.

7. O Domine! fac me transire in illam beatam dilectionem, libertatem veram filiorum tuorum: fac me ad apicem amoris transire in summa misericordia tua.

Amem, non tantum ut servus, cuius totus amor in mercedis retributione fundatur, sed ut servus fidelis, qui Dominum suum diligit verè, & meretur amicus dici & fieri, & secreta ejus scire:

Non tantum velut ille amicus Sponsi, qui cum Sponso festos agens dies, præter Sponsum, gaudia Sponsi quærit & gustat, dies tribulationum ignorat, & Sponsi absentiae subsequentes desolationes; sed ut illi qui, ablato Sponso, absentem dilexerunt opere & veritate in tribulationibus & angustiis, in derelictione & desolatione.

Amem ut filius qui semper diligens & dilectus, ad latus patris vivit assiduè, & cui omnia bona patris sua sunt; non ut filius qui, dum recognitat hæreditatis amissionem, plus reveretur hæreditatis largitorem, amat minùs.

8. Suspectus est amor cui aliud quid extraneum adipiscendi, spes suffragari videtur:

Infirmus est qui fortè tali spe subtracta, aut extinguitur, aut minuitur:

Impurus qui & aliud cupit.

Infunde, Domine, in animam meam purum amorem Sponsæ sanctæ, hunc qui mercenarius non est:

Purum amorem, qui de spe præmii alterius quod tu non sis, vires non sumit:


Qui unum te sperat, & intendit, procul à diffidentiæ barathro, simul & à malè concepta spei sanctæ rejectione: purum amorem Sponsæ, cuius res & spes solus & unus est amor.

9. O tu, qui summus omnium, unus factus es omnium, & in quo amor fecit hoc, amor dignitatis nescius, dignatione ditissimus, affectu potentissimus, suasu efficacissimus! aperi ante me immensam illam charitatis viam, in qua progressus absque limite sit.

Et sicut amoris fuit, quòd plenitudo effusa sit, quòd altitudo adæquata sit, quòd singularitas associata sit, quòd non Moyses, sed plus quam Moyses, non servus, sed filius, non homo, sed Deus, candor æternæ lucis, splendor & figura substantiæ Dei, associari Æthiopissæ huic carnis nostræ dignatus sit.

Per eandem ineffabilem & incommensurabilem

charitatem , animam meam peccatricem , quam dignatus es convertere ad te , à plenitudine sanctæ dilectionis , à pace perfectæ unionis , à foedore sanctæ primæ sponzionis ne procrastines vel repellas in finem .



CAPUT XVII.

Secretum Solitudinis.

Vox Domini.

¶. **F**ILI , ne quæras videri & apparere : abscondere cum Christo in Deo , in secreto lucis supernæ : ibi animæ parata est suavissima solitudo , in qua & omnium terrenorum obliviscatur , & ipsius lutei habitaculi sui .

Animæ ad hanc solitudinem deducitæ frequenter consociari complacuit mihi : ibi loquor ad cor ejus , solus cum sola : cum illa quæ sic absconditum faciei meæ quærit , procul à conturbatione hominum , sermocinari delector :

Hujus ad ostium sto & pulso , & si audierit vocem meam , & aperuerit mihi januam , intrabo ad illam , & tedium ejus & languorem dissipabo sapore dulcissimo :

Incurvatam & dejectam erigam , mœstam consolabor , sitiæntem refocillabo aquâ vitæ gratis ;

labantem confortabo, pauperem implebo bonis;
esurientem cibabo pane supersubstantiali:

Humili, parvulae & contemptae dabo edere
de ligno vitae, quod est in paradiso Dei: absconditae amatrici & fideli sociae occultae vitae Christi
præbebo manna absconditum, quod nemo scit,
nisi qui accipit.

2. Beatus qui sic ignotus mundo, cognitus mihi
est! beatus qui cum Moyse intus audit Sponsum
dicentem: Novi te ex nomine, & invenisti gra-
tiam coram me:

Qui cum illo confidenter deprecatur, ut often-
dam illi faciem meam: qui unum hoc desiderat,
scire me, quia pariter meretur audire!

Ostendam tibi omne bonum; & licet homo
non possit vivere faciem meam adhuc vivens,
ponam te tamen in foramine petrae: miserebor
enim cui voluero, & clemens ero in quem mihi
placuerit.

Protegam te dexterâ meâ, donec transeam in-
ditus gloriâ, & tollam manum meam, & videbis
me postquam transiero.

3. Beatus qui sic rapitur & trahitur supra se;
inspecturus posteriora transitus mei, in magnifi-
centia operum, in subsequentibus donis, in qua-
dam emanatione lucis æternæ, in sensu ardoris
quo incaluit cor ad transitum solis hujus, in fruc-
tuum sanctorum maturescentia:

In dulci charitatis fœcunditatis calore, in affectibus miris visitationis hujus, in rivulis gratiæ post transitum decurrentibus, in scintillulis & radiolis à posteriori micantibus, mentem & animam simul configentibus Deo, in indictione silentii delectabilis per fortunata momenta!

Sed qui sic ascendere intendit ad me, postulans intrare & claudere sui cubiculum cordis, in oratione perfecta, discat antè descendere ad me, qui elegi latere in Nazareth, priusquam in Jerusalem manifestari:

Qui in sudore vultūs mei partum panem manducavi absconditus, oblivioni datus in terra mea, tanquam mortuus à corde:

Qui inter concives vilis reputatus, ignotus mundo & ipsis contribulibus, etsi in medio eorum positus, sic transivi priorem & longiorem cursum transitūs mei.

4. *Noli tristari si ignorat te mundus, & sis velut nullus in terra, dummodò mihi sis notus & familiaris:*

Si sis velut mortuus, dummodò mihi vivas: si sis vel omnium peripsema, dummodò pretiosa sit vita & conversatio tua oculis meis.

Eris tanquam tristis, quia gravis & seria est disciplina mea & verecunda; sed revera semper gaudens per pacem veram, per pacem perfectam, per spem quam diffundam in corde tuo:

Eris velut pauper in abdicatione temporanei fastūs ; sed eris reverà ditissimus in possessione thesauri absconditi in agro cordis tui : velut nihil habens præ continua immolatione spiritūs proprietatis , & omnia possidens in possessione dilecti tui.

5. Ergo ad hoc *transi* , & ex nunc odio habe & fuge humanas laudes.

Deo laus sit , & gloria referatur de bona conversatione tua , non tibi : vel si tibi , hoc sit extra te , absque te , ad ædificationem proximi , prout Deo placuerit : tibi sufficiat testimonium conscientiæ tuæ :

Et in hoc , ne nimium etiam innitaris judicio tuo , cùm , etsi non tibi conscius sis , non tamen justificatus sis.

Pro minimo sit tibi ab hominibus judicari , nec velis ab humano die pendere.

Quid refert si à mundo condemnaris vel æstimeris , condemnneris an absolvaris , lauderis aut vitupereris , & hominum judicio vel supra vel infra hunc vel alium ponaris , discerparis , conteneris , aut pro nihilo computeris , cùm ego solus judicem te , cuius vultum requiris ?

Ego , Dominus , cuius mancipatus es jugo , & devotus servitio , tecum ambulabo in via tua : ero dux tuus , ero & vita , donec ad vitam meliorem assumaris : & tandiu felicitas & securitas tua , do-

nec sim merces tua magna nimis : hoc sat est.

6. Si patrem familias Beelzebut vocaverunt, quanto magis domesticos ejus : si magistrum agnoscere renuerunt, spreverunt, contradixerunt, & inter furiosos & dæmonium habentes posuerunt, consequens est & discipulos pariter ignorari, nec agnosci :

Pro honore, experiri contumelias ; pro laudibus, vituperia & depressiones ; & per falsa judicia, hypocrisis insimulari, & singularitatis, & novitatis, & morositatis, & cupiditatis, & cujuscunque obtentus mali & conficti ; ut sic absconditi tecum in transitu vitae hujus, quondam tecum appareant fulgentes in gloria.

Si Filius, splendor gloriæ Dei & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis, purgationem peccatorum faciens, in hunc mundum veniens, acceptus non fuit, sed rejectus :

Si nec lucis æternæ candor, præ tenebrosis mundani cordis nebulis, oculos hominum perstrinxit in signis & virtutibus fulgens : si tenebræ tantum jubar non comprehenderunt :

Quid mirum si opera tua bona nec dignentur advertere, si lucernam fulgoris tui respuant, & conentur extinguere ?

7. At dum lucis increatæ splendori cæcos oculos præbuerunt, & calori charitatis æternæ subtrahentes se, frigidi remanserunt, non ex eo minus in se fulgida

fulgida lux, aut calor secundus, aut charitas permansit magnifica:

Nec tu, fili, ex contemptu & hominum injusta aestimatione culpam incurres, aut evades minùs placens, & gratus oculis meis.

Homines vident ea quæ parent, & secundūm faciem judicant: ego sum cordis probator, renūm & cogitationum scrutator.

Excute jugum opinionum mundanarum, & vanos timores judiciorum mundi, & fallaces apparentias comprobationis filiorum hominum: non hæc meliorem te, aut deteriorem faciunt quām sis in oculis meis: quod es in conspectu meo, hoc reverā es, & non plus vel minùs.

8. Crescunt vel decrescunt umbræ montium, prout sol ascendit aut cadit, occumbente evanescunt; nec tamen vel erigitur, vel deprimitur, vel ausertur collis, vel re aut formā mutatur.

Opiniones vanorum vanæ, velut umbra sequax, quæ nihil addere, vel demere ex fugaci comitatu, rebus, aut personis, potest.

Oculos quære veritatis supernæ, oculos ejus qui videt in abscondito, qui nec fallere te, nec à te falli potest.

Laudes hominum corruptorum, aut falsæ sunt, aut malignæ: sæpè laudant ore mellifico minutam virtutem, ut acriùs dente vipereo postmodūm crimen infigant:

Sæpè affectant frigidè & infulsè laudare , cui laudum generi præstat apertum vituperium :

Modò , ex copia laudum invidiam quærunt , laudato : modò , foveam dolosè effodiunt ante pedes ejus , ut corruat , vel imprudentem alliciunt escâ fallaci , ut decipient in vanitate , & adulatoriū sermonis stultum amatorem intra semetipsos irrideant.

9. Fili , meliora sunt verbera diligentis , quàm fraudulenta oscula odientis.

Ego speculum præbebo tibi , in quo consideres vultum nativitatis tuæ , & pravorum affectuum tuorum utilem infundam horrorem , ne statim postquàm videris te , abeas , & obliviscaris qualis fueris antequàm in misericordia suscepissem te , & qualis adhuc sis.

Ostendam tibi typum Sanctorum , ut videas quàm longè es à viis illorum , & humiliatus quotidiè ingemiscas , usque dum crescas in virum perfectum.

Docebo te viam veritatis in humilitate & parvitate , & contemptu propriæ laudis , quoadusque , cùm omnia feceris quæ præcepta sunt tibi , servum inutilem confitearis te , ne partem habeas cum amatoribus terrenæ gloriæ , qui receperunt mercédem suam.

Attende ergo ne justitiam tuam facias coram hominibus , ut videaris ab eis : ostentatorias fuge virtutes : tuius exercebis privatas.

Quære non vanas species, sed veritatem; non alienam comprobationem, sed officii tui sedulam perfunctionem; non humanum plausum, sed testimonium conscientiæ tuæ.

Toto animo conare & incumbe, non ut perfectus videaris, sed sis.

10. Apud filios hominum & mundi amatores, in imagine pertransit homo; sed & frustrè confundatur: ex opinione vanissima & inconstantia plena pendet misera felicitas ejus.

Ex uno verbo dejicitur, & usque in infernum demergitur: ex uno verbo similiter usque in cœlum stultè evehitur.

Ex modico sumi prætereuntis vapore citò inebriatur, nec scit fumum illum, cuius suavitate infatuantur magnates & divites, periculosam caliginem esse, quâ obtenebratur mentis serenitas.

Cave ne & tu thuris sacrilego infatueris vapore: gloria, Dei est: in omni sacrificio totum thus ipsi adure; quidquid tibi reservaveris, rapina est, sacrilegium est.

Vox Discipuli.

11. DOMINE, deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua: salva me ab hominibus loquentibus mendacium, & frustrè observantibus vanitates.

Sed à meipso libera me, qui miser tam sæpè cogito me aliquid esse, cùm nihil sim, ipse me seducens:

Cui tam sœpè in mentem redeunt qualescumque laudes , miserè prurientes auribus præcordiorum meorum :

Qui tam raro infra me respicio , humiliora quærens : tam leviter supra me oculos attollo , altum sapiens :

Qui nec altos gradus cum præsumptione appetere , nel altius tollere domum meam adhuc vereor in vanis & deceptoribus imaginationibus ; etsi tam sœpè altius positus , graves lapsus expertus sim ; etsi domus hæc altissimæ humilitatis fundamento destituta , tam lamentabiliter jam corruerit , & semel , & bis , & facta sit ruina illius magna .

12. Averte oculos meos , ne videant vanitatem : in via tua vivifica me : pone me juxta te , ut in abscondito lucis tuæ & veritatis tuæ videam me , & agnoscam quia miser , & miserabilis , & pauper , & cæcus , & nudus sum .

Super confitentem tepiditatem suam opes infunde misericordiarum tuarum , ut absque argento emere queam à te vinum & lac , ardorem & saporem , lampada & oleum , & in odorem tuum currere post te .

Inunge oculos meos , ut videam : albis vestimentis indue famulum tuum , nec appareat amplius confusio nuditatis meæ .

Præbe aurum ignitum , probatum , quo locuples fiam .

13. Discam à te quia me oportet minui, & in hac via perseveranter, etsi trepidantem, deduc me: ostende mihi quām dulce sit pro nomine tuo pati.

Nihil à mundo acceptius mihi sit, quām dejici, & bassari, & contemni: odium & displicantiam mundi malim experiri, quām tenere favorem & præconium audire; quippè qui si hominibus placcerem, Christi servus non essem.

Hoc mihi sufficiat abjectus esse in domo Dei mei: in tuto stare tabernaculi tui, ne alibi seducar aurā mendacii, erroris & vanæ laudis.

Ibi concedatur assiduè frequentare, meditari, & contemplari:

Absque cessatione & interruptione omnibus reliquæ vitæ meæ momentis, cogitatione, actione, & locutione, labore, studio, & oratione prosequi faciem tuam, ut eò magis ostendas te mihi, animæ meæ dulcescas & innotescas, & gustando quām suavis sis in viis tuis, diligam te propter te, & cessem diligere me, nisi in te, & propter te.

14. Ibi diligam te pro dono tuo & modulo meo, minus quidem justo, minus optato, sed planè non minus posse meo.

Ardenter & incessanter invigilem, totâ intentione, totâ sollicitudine, totâ curâ & operâ meâ, quemadmodum placeam tibi.

Tanto fervore & diligentia studeam tibi conformis fieri, ut tandem queam in eandem imaginem feliciter transformari, & revelata facie faciem tuam speculari, & si fas esset, ad hanc pervenire justitiae perfectionem, in qua non sit transmutatio vel vicissitudinis obumbratio.

At si haec summa nimis & altiora, vitae hujus non sunt, parce nimium audenti, indulge ex fiducia primaevae similitudinis quarenti naturae primae ingenuitatem, cœleste decus primae originis ambienti; & huc quo vis, quomodo vis, juxta beneplacitum tuum, per te deduc me, ô summe Magister, qui descendere dignatus es, ut devios peccatores doceres ascendere suprà se, & quiescere in te!

CAPUT XVIII.

Bonum Dilectionis.

Vox Discipuli.

1. O quis tribuet mihi unam quam desiderat anima mea dilectionem, præter te, Domine Fili, fons & evangelista amoris sancti & æterni super terram?

O tu qui charitas es & ignis consumens, optime, amabilissime! fac me esse de ovibus tuis

quæ audiunt vocem tuam, & sequuntur te, de gente sancta quæ tibi in peculium est :

De plantatione quam plantavit Pater tuus, quam tibi dedit in manus, & quam nemo rapere poterit de manu tua :

De populo quem redemisti, & eduxisti à domo servitudinis : de populo acquisitionis, quem assumpisti, & portas super alas aquilarum, ut custodiat pactum tuum.

Vox Christi.

2. **FILI**, qui nihil praeter Deum desiderat, hic purus & verus amator est, & mundo corde.

Beatus qui cum Moyse dicit sincerè & ardenter, Ostende mihi faciem tuam ; vel cum Philippo, Ostende nobis patrem, & sufficit nobis !

Beatus qui usque ad ultimam metam vadit semper crescens in hoc desiderio : qui ad extremam, realem, omnitudinam & perfectam abnegationem transit, nec sibi quidquam retinet !

Qui enim sibi parvum quid reservat, qui parvulum illud defraudatum pro nihilo reputat, non novit humani cordis pravitatem :

Siquidem in illo vili peculio totus roborescit appetitus, totus revirescit spiritus proprietatis, totus latet homo vetus, totus vivit qui sibi mortuus esse credit.

Quid times ergastulum in fine deserere, qui

initio palatia reliquisti? quid nunc trepidas abjecere
minuscula, qui ante tam multò majora sprevisti,
tam longè pretiosiora calcasti?

Ah! pro siliquis cave, fili, ne perdas bona
multa apud me cum sudore & labore coacervata:

Transi usque ad summum, consumma transitum: abrumpe, qui ultimus detinet te, contemptibilem laqueum: abnega te usque ad nihilum: ibi perfectio amoris, felicitas, requies, & beatitudo amantis.

CAPUT XIX.

Signum sanctum.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

1. **A**UT fallitur Christus, aut mundus errat: usquequò claudicas in duas partes, inter lucem & tenebras anceps? Nulla pars mundi cum Christo.

In omni vita Christi judicium mundi arguitur, subvertitur, confutatur.

Hoc vobis signum, ait Angelus, Pastoribus evangelizans Christum natum, hoc signum: Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

Panni, præsepium signa sunt Salvatoris: ergo signa salutis humilitas, paupertas, amor vitæ

absconditæ , laboriosæ & pœnitentis.

Signa sunt , cum Christo rejici , in diversoriis , in deliciis urbium locum non invenire , à fastu & pompa elongare se , mollitiem vestium & stratorum nescire , temporum , tempestatum , & locorum incommoda pati .

Hæc elegit puer Emmanuel , homo Deus : puer ille qui verè scit eligere bonum & reprobare malum .

Huic sapienti puero adhære , qui meliorem sanè partem elegit .

2. O panni sancti pueri Jesu ! quis in vobis gloriatur ? ô signum salutis & Salvatoris ! quis jam agnoscit te ? quis incedit sub vexillo illo sancto ?

Heu ! quām pauci inter Christianos , & ipsos Christianos qui viam Dei videntur appetere , verè recolunt divitias paupertatis !

O signum datum pannorum Christi Jesu ! ô signum mirabile in sapientia Dei in terris visa ! quām altè in seculo isto & à multis tibi contradicitur !

Agnosce , tu qui Jesum sequeris , thesaurum hunc absconditum , illumque emere fatage omni die in abnegatione perfecta , vel re , vel saltem spiritu Deo mancipans quidquid habes :

Agnosce in puerō pannoso , in parvulo reclinato in præsepio verum Jesum magnum Sacerdotem ,

fordidis opertum vestibus, dum alter caretur cum diabolo.

Agnosce semen mulieris veteres inimicitias adversus serpentem adimplentis, caputque superbū Principis mundi hujus conterentis, & imperium ejus subvertentis:

Agnosce puerum velociter spolia detrahentem hostis antiqui, jugum vetus confringentem, sceptrumque exactoris superantem melius quam in die Madian, antequam sciat vocare patrem & matrem suam:

Agnosce principatum pueri super humerum ejus: jam crucem bajulantem inspice parvulum illum praे charitatis ardore: inspice & in cunis jam velut gigantem, ingredientem ad currēdam viam crucis à summo cœlo.

3. Elegit pannos, elegit præsepe, elegit hymen & noctem, qui amicitur lumine velut vestimento, cui canit Psaltes: Tuus est dies, & tua est nox, æstatem & ver tu plasmasti ea.

Elegit pati, elegit rejici, elegit abscondi & nesciri in campis ad portas Bethleem: & tu, elige afflictionem corporis: ama nesciri & contemni.

Hoc discito eligere bonum à puerō nobis dato, à parvulo nobis nato, qui prius incipit facere, quam docere:

Cujus vagitus & fletus poenitentiam prædicant:

carnis teneræ & infantilis infirmitas & impotentia, abjectionem & humilitatem: silentii status & obmescentiæ, submissionem & discretionem.

Ipse enim infans Verbum Dei est: ipse tener & infirmus, Deus fortis est: ipse pannosus puer vagiens & flens, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, Deus de Deo, à seculo & in seculum: ipse Filius unius diei super terram, Pater futuri seculi est, & ante secula natus.

4. Ex ligno isto benedicto veram scientiam disce boni & mali: hujus fructus verè pulcher visu, aspectuque delectabilis, verè bonus ad vescendum.

Lignum istud, verum lignum scientiæ, verum lignum vitæ: lignum de paradiſo Dei nascitur, in terra maledicta benedictionem reducturum.

Ad istud accede, non cum Eva superba & inobediente, sed protegente nova matre viventium, humili & ex corde Deo devota Virgine, & mirare ligum salutis & immortalitatis plantatum in terra nostra.

Mirare commercium cœli cum terrigenis; inspice & adora humanitatem & benignitatem Dei, non jam ambulantis in meridie & advenientis in terrore, sed in similitudinem tuū facti in carne tua, & nascentis in umbra placidæ & illuminatæ noctis, ut revocet te ad se cum fiducia & absque timore, nec verearis ad puerum vagientem accedere.

Accede ad fontem tam stupendæ dilectionis

in dilectione & amore multo, & dic toto cordis affectu :

Sub umbra ejus quem desideraveram sedi ; fructus ejus dulcis gutturi meo super mel & favum.

5. Inveni quem diligit anima mea : ipse speciosus formâ præ filiis hominum : puer candidus, niveus & rubicundus, electus ex millibus, ipse est quem quæsivit anima mea.

Inveni eum in campis sylvæ, procul à conturbatione hominum & tumultu civitatum.

In caliginoso noctis lux ejus circumfulsit me, Angelis canentibus, præcedentibus Pastoribus, introivi & adoravi in tabernaculo ejus.

Complacuit ori meo terram sanctam deosculari ubi steterunt pedes ejus, nec enim ausus sum, præ immunditiis peccatorum meorum tenere pedes illos mundissimos, & osculis meis premere.

Complacuit animæ meæ præsepe venerari, ubi Virgo Mater pannis involvit membra sancta Filii Dei & nati sui :

Ubi stricta cinxit fascia manus ejus, qui verbo condidit cœlos, pedes ejus, cui terra scabellum est.

Complacuit munuscula offerre non rejicienda à puerulo, minuta duo, corpus & animam meam, id totum quod habeo & quod sum: omnia bona mea, quæ & verius bona sua sunt, illi in sempiternum dicare, vovere & consecrare.

Vox Discipuli.

6. O DOMINE JESU ! ad vocem Angeli propero,
sub signo tuo , tibi in servum addici ab infantia
gestiens , jugumque sanctum tuum portare.

O puer optime & misericordissime ! ne repellas
nocentissimum peccatorem , qui poenitens confugit
ad innocentiam tuam , ut in ipsa medelam vulne-
rum suorum recipiat :

Ne rejicias qui in mari magno mundi hujus inter
scandala irrumpentia ultra metas omnes , auxilium
quaerit & tutamen sub signo tuo ; non tantum pro
colluctatione adversus carnem & sanguinem , sed
adversus Principem tenebrarum harum , & cres-
centem multitudinem filiorum Belial , quorum nu-
merus velut locustæ ascendentis de terra : dentes
eorum sicut dentes leonum & molares eorum , ut
catuli leonum volentium ponere vineam tuam in
desertum , & abolere sacrificium & libationem de
domo sancta tua.

Heu , Domine Jesu , Verbum Dei verum , Sal-
vator nobis nate ! hoc nomen sanctum tuum ver-
bum sit quod pro omni præripere liceat mihi
peccatori à primo nativitatis tuæ momento !

Parcat oculus tuus & misereatur , ô puer qui
venis salvum facere quod perierat ! neque reddas
vias meas super caput meum , etsi iniquitates meæ
magnæ sint nimis valdè .

7. Signa me signo sancto tuo in hoc tempore malo : signa me jugo & cruce : huic signo ex quo die in ineffabili unione corpus aptasti tibi , te totum mancipasti.

Signa me , & in corde , & in fronte , signo illo à Propheta descripto , cum viris gementibus & dolentibus super cunctis abominationibus nefariæ doctrinæ hujus seculi nequam:

Obsurdescat anima mea ad vocem illorum qui contradicunt tibi , non iam in veteri Israel , sed & in nova & æterna domo Jacob , inter Christianos ipsos , ubi etiamnum in signum positus es , cui à tam multis impiè contradicitur.

Obtura aures meas ad blasphemias blasphemantium nomen sanctum tuum , tabernaculum tuum , & eos qui in eo habitant : & in libro vitæ nomen meum per misericordiam tuam scriptum ne deleas : sin per peccata deletum scribe denuò , pœnitenti parcendo.

8. Signa me indelebili signo sancto tuo , ne in fronte subrepat unquam aliud illud signum nefandum , character *apotheos* , qui nuper seduxit habitantes in terra.

Et etsi orbem totum (quod absit) , etsi gregatim pusillos & magnos , divites & pauperes , liberos & servos , miserè deceptos in dextra & frontibus suis , in actu & mente (quod avertat Deus) characterem hunc mundo mirabilem factum præ-

honore habere conspexerim , procul sit à me tantum nefas , protegente lumine sancto tuo.

Verba prophetiae tuæ fac me fideliter attendere & custodire.

Toto corde , toto & corpore perhorrescam ad numerum nominis hujus maledicti , & vel ad umbram ejus , quod menti meæ paventi & stupescenti , heu ! verisimiliter nimis insonat , *antitheisma* , monstrum à paudis diebus ingressum solo , jamque caput inter sidera condens .

Salva me , Domine , à diebus istis : salva & omnes servulos tuos à generatione ista prava & adultera , signans signum sanctum tuum super frontem fidelium tuorum .

9. Deduc super montem Sion gregem tuum , ô puer sancte ! quem emisti de terra pretioso sanguine tuo : ô parvule nobis date ! serva parvulos tuos , nec quisquam rapiat de manu tua quos dedit tibi Pater .

Confirmā quod operatus es in illis ; nec scandalum sumentibus multis , dum spiritu vacui qui vivificat , litteram attendunt , veri discipuli tui unquam recedant à te , qui verba solus habes æternæ vitæ .

Protege fugientem in solitudinem Sponsam tuam sanctam à facie inimici : deduc illam in locum paratum à te : & fidelis in omnibus verbis

tuis, pasce illam omnibus diebus in deserto terræ
hujus miseræ, pane de cœlo præstito.

Adjuva solitariam, cujus præter te nullus est
auxiliator aliis.

Hominum illorum superbiam contere, qui in
fortitudine & sapientia carnis & mundi volunt
tua mutare promissa, delere hæreditatem tuam,
claudere ora laudantium te, & extinguere gloriam
templi & altaris tui.

10. Ne tradas, Domine, sceptrum tuum inimicis
tuis, qui hæreditaturus venisti omnes gentes, &
ex omnibus tribubus, populis & linguis Deo Patri
statuere regnum.

Ne rideant ad ruinam nostram, & subsannent
nos debiles & infirmos ex nobis; sed in fide verbo-
rum tuorum fortes, firmiter expectantes auxilium
tuum, confidenter ambulantes post te, pacificè
paratos & quidlibet pati in simplicitate nostra, &
fieri, cum patribus nostris testibus fidei sanctæ tuæ,
velut oves occisionis.

Converte consilium eorum super eos, & infatua
prudentiam illorum, velut consilium Achitophel.

Tribue sermonem compositum in ore Pastorum
tuorum, ut transferant cor Regum in odium hostis
tui, ut & ipse pereat, & detrudatur in abyssi
puteum undè exivit, ibique rursus in æternum
claudatur.

11. Adjuva filios tuos nullum aliud auxilium habentes, nisi te, qui habes omnium scientiam.

Adjuva deprecantes te in fletu & luctu, in cinere & crinium laceratione, præ periculi novitate & stupore.

Audi voces illorum qui non lætantur nisi in te, quibus non placuit vinum libaminum, nec in signo gloriae & superbiæ caput suum exaltare intendunt:

Sed in silentio dies pacificos agere deprecantur, humiles & mundo despecti, dummodò tu glorificeris & sanctificeris, justificeris & vincas cùm judicaris.

12. O Puer sancte, ô radix Dávid, qui stas in signum, non tantum pastorum, sed & populorum!

O Rex seculorum immortalis, in tempore nate de Virgine sancta & immaculata!

Audi & miserum homuncionem, cum ipsis Sanctis tuis vocem extollentem, etsi sit pulvis & cinis, & deprecantem ut non auferatur à nobis regnum tuum, nec in hoc seculo, neque in futuro; regnum enim tuum, Domine, regnum omnium seculorum:

Meque, licet indignum, propitiante gratia tua, inter illos annumerare dignatus qui toto corde fidei tuæ adhærent in unitate Ecclesiæ sanctæ tuæ, undâ sanctâ lacrymarum tuarum, undâ sanctâ

fudorum tuorum, undâ sanctâ lateris tui dealbatum totumque lotum in sanguine sancto tuo, cum omnibus servis tuis signo sancto tuo signatis, sine macula demùm constitue ante thronum sanctum tuum. Amen.

Explicit Liber tertius de Transitu.





TRANSITUS

*Animæ revertentis ad jugum sanctum
CHRISTI JESU.*

LIBER QUARTUS.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIA SACRAMENTO.

*Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,
mortem Domini annuciabitis. C O R.*

CAPUT I.

Divinæ Dilectionis Immensitas.

Vox Discipuli.

I. **O** Q U I S intelliget misericordias Domini,
auditas faciet miserations ejus ?

O quām verè non sicut videt homo & tu vidisti,
ō misericordissime Deus, & Deus tu, & non homo,
ut non facias juxta furorem iræ tuæ !

Cūm superabundasset malitia super faciem ter-
ræ, cūm repleta appareret iniquitate, mendacio &
abominatione, cūm in tenebris jacerent omnes
populi terræ :

Cūm in immunditia & turpitudine prostratus

universus orbis dormiret in vino ebrietatis suæ, cùm gentes omnes traditæ viderentur in reprobum sensum & passiones ignominiae, non sicut Adam posuisti terram hanc, non sicut Seboim posuisti habitatores ejus:

Cùm & ipsa gens electa & segregata, ut mandatorum & promissionum depositum sanctum custodiret, eò usque mox esset defectura, ut consummaretur per eam prævaricatio:

Non fecisti furorem iræ tuæ, nec continuisti in ira misericordias tuas, sed tunc quasi conversum est cor tuum, pariter conturbata est pœnitudo tua:

Tunc tempus adfuit in æternis consiliis præfinitum, ut deleretur peccatum, & adduceretur justitia sempiterna:

Tunc, tunc misisti quem missurus eras, homini prænunciatum ab initio Salvatorem: nox evanuit, dies appropinquavit.

Misisti in Ægyptum istam, in mundum istum perversum & perditum, ipsum dilectum Filium tuum, unicum quem habebas misisti ad colonos malos quem revererentur:

Ad illos ipsos quos in brachiis tuis portaveras specialiter, & nescierant manum portantis & nutrientis, vocemque non audierant erudientis & ad pœnitentiam revocantis.

2. Apparuit manè quasi ros pertransiens: manè

transiit, sed pertransiit benefaciendo, & sanando
omnes oppressos à diabolo.

Nec misereri, satis visum est paternis visceribus
tuis, ô Pater misericordiarum! nisi & miserando
assimilares & coptares miseriæ nostræ miseratio-
nes tuas.

Filios Adam, in funiculis Adam ad te trahere
meditatus es, per humanitatem Filii tui unigeniti.

Humanis oculis subjicere missum Salvatorem
dignatus es, ut qui tam longè recesserat homo
terrenus ab amore invisibilis & incorporei factoris
sui, per visibilem & corporeum reparatorem
Filium tuum carnem factum, in sinum paternæ
charitatis vel sic reduceretur, in diligendo quod
oculis suis videret, quod manibus contrectaret de
Verbo vitæ.

In vinculis charitatis venisti constringere filios
Adam, ô Domine Jesu, sanctus Filius ejus!

Novus Adam de cœlo cœlestis, ipse in Aegyp-
tum istam mitti voluisti & vendi: nec in ipsam
servus factus horruisti descendere, ut salvates fra-
tres de fame & egestate, ut oculos cœcorum ape-
tires, & prædicares captivis remissionem:

Et veniens verus Salvator, pepercisti sceleribus
fratrum in temetipsum commissis

Et dilexisti odientes te gratis, & salvos fecisti qui
perdere voluerunt animam tuam, & ardentius pro
ipsis orasti.

3. Hæc, hæc sunt vincula charitatis, in quibus
venisti trahere nos, trahere nos ad te.

Cui vincula sancta tua recusare fas erit? cui in
exhibitione, tantæ, tamque incomprehensibilis
pietatis, voluntas abesse poterit serviendi Domino
in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus
suis?

O mira charitatis vincula, in quibus homo
servus transiit ad libertatem veram, quippè quem
ipsa veritas liberavit!

O stupenda miseratio, in qua homini appro-
pinquare dignatus es, ut exaltares jugum ejus super
maxillas ejus, & obsoleto jugo veteri, in coronam
& gloriam dares novum jugum suave & sanctum
super caput ejus!

O dulcissime Salvator! impone jugum illud
sanctum super nos, quod nunquam auferatur; &
sic in nobis adveniat regnum tuum.

Sicut in cœlo, adveniat & in terra nostra reg-
num illud, tam magnificè prænuntiatum, quod
nunquam corrumpetur, quod in æternum non
dissipabitur, cuius non erit finis in domo Israel,
populo sancto, Ecclesiâ Dei, Sponsâ sanctâ tuâ!

4. Nec illud adhuc satis immensitati charitatis
fuit & dilectionis, visibilem venire in mundum, &
cum filiis hominum conversari, hominem factum
redimere fratres, redire non in auro, sed in
sanguine proprio, supra modum in sublimitate
immensi pretii:

Sed & insuper, in excessu ignis quo æstuabat, & quem venit in terram mittere, nihil ardentius volens quam ut accenderetur in cordibus nostris, declinavit ad hominem etiam ut vesceretur, ut ait Propheta:

Alimoniam sanctam, coelestem cibum, terrenis parare adhuc dignatus est carnem suam sanctam, & sanguinem suum:

Hoc supersubstantiali cibo, potuque donare voluit, & sustentare terrenorum servorum suorum animas in ipso sanctificatas, ut sanatas per ipsum & lotas, immortali pane reficeret, ab æterna morte eximeret, sanctas & immaculatas custodiret:

Et sic per ipsum regeneratus, in ipso sanctificatus, ex ipso nutritus, totus homo evaderet suus:

Adeò miris, & stupendis, & strictis, & superabundantibus proprietatis titulis, in ordine novo, & qui supra naturam est, hominem acquirens & sibi devinciens, qui totus suus antè, nec minus erat ex natura.

5. Quid retribuam tibi, ô Domine! pro his tot & tantis quæ retribuisti mihi? quid retribuet homo, cui sic mirabiliter & misericorditer subvenisti, postquam ab illa beatitudinis via desciverat, ad quam primum aspirare fas erat ex creatione, ad imaginem Dei & similitudinem factus, & ad hoc talis tantusque creatus, ut Deum in se, seque in Deo diligeret?

Quid retribuet Salvatori , qui sic descendens & condescendens filiis Adæ qui in superbia voluerat fieri sicut unus ex Diis , fieri ipsemet voluit & factus est sicut unus ex nobis , ut re , non vanâ spe filii Dei fiamus & simus.

6. O summum & inæstimabile debitum pro quo non habet homo in se quod retribuat , etiam cum se totum retribuit:

Cui solvendo non sufficit , etiam cum dat quidquid habet , & quidquid est !

Pro tam ineffabili dignatione , ô Domine Jesu! ipsam digneris suscipere dignationem tuam:

Pro tam ineffabili dono , ô Pater sancte ! ipsum digneris suscipere inappreciabile donum , Filium sanctum tuum donantem se.

Verè digna tuî oblatio illa mundissima , & in hoc superlaudabilis misericordia tua , quia Ecclesiæ sanctæ tuæ hanc relinquere dignatus est Filius tuus Dominus noster Christus Jesus , in gratiarum actionem & sacrificium laudis , sicut & in panem filiorum & cibum Christianorum.

Da animæ meæ miseræ & peccatrici , sed in miserationibus tuis confidenti , saltem spiritu , quotidiè panem hunc cœlestem humiliter & ardenter accipere : & nomen illud sanctum , præter quod non est aliud datum hominibus in quo possint salvati , nomen Domini mei , nomen Jesu , nomen salutis & pietatis , incessanter invocare & benedicere ! Amen.

C A P U T I I .**Continuatio.****Vox Discipuli.**

I. O DOMINE! quomodo ullâ die oblivisci potero miserationum tuarum?

Cum mortuus essem in delictis meis, convivificasti me, delens quod adversum me erat chirographum & affigens illud cruci tuae.

Sub vinculo peccatorum meorum tumulatus & fætens, & plus quam quatuordecim, fuscitatus ab æternæ mortis somno, revivixi per te, per vocem tuam magnam, per vocem virtutis tuæ, & suscitatum me confidenter tecum traduxisti triumphans.

Per te convalui de infirmitatibus meis, & fortis factus in bello, à vitiis & concupiscentiis in quibus computrueram viriliter exivi.

Circumcisionem cordis docuisti me, circumcisionem labiorum, & feliciter tecum consepeliri in baptismo pœnitentiae:

Addidisti & præmunire me, ne desciperer per falsam philosophiam, inanem fallaciam, & sublimitatem sermonum, ut radicatus & confirmatus

per te , ambularem in te juxta apostolicas traditiones Ecclesiæ sanctæ tuæ.

2. Sed & præter potentiam tantæ claritatis , & postquam dignum me fecisti in partem sortis Sanctorum in lumine , per infinitam misericordiam tuam concessisti esurienti & deficiente , & in malis tabescenti animæ infirmiori refectionem sanctam :

Panem supersubstantialem , panem de cœlo verum , quem qui manducat , non sicut qui manna manducaverunt in deserto , & mortui sunt : qui cibo illo nutritur , vivet in æternum .

Voluisti , Domine , etiam dum planè indignus ad mensam tuam sedere novissimus , stabam retrò secus pedes tuos , horrore plenus peccatorum meorum & pudore :

Voluisti & dignatus es de luto fæcis ad epulas sanctas , albis vestibus in abundantia divitiarum clementiæ tuæ præindutum , vocare me .

Vix , Domine , vix , quia pusillus eram valdè , & filius unius diei , servorum tuorum innumerabilis multitudine stipatum , in transitu mihi videre te fas esse putabam :

Et ecce vocasti me , & intrare voluisti sub tectum meum , & manere in domo mea :

Non eo quod ipse , vel Zachæus per fidem ; essem Abrahæ filius , sed quia potens es de lapidibus suscitare filios Abrahæ , hanc miserationem

exhibere dignatus es homini pusillo & vili.

De stercore erexit pauperem, Domine, & cum principibus & primoribus fidelium Ecclesiae sanctæ tuæ in circuitu mensæ tuæ collocare non es dedignatus.

3. Quas poterit homuncio tibi, Domine, referre gratias, & peccator quem obruisti pondere tantæ miserationis & glorificationis?

Sedit Lazarus quem suscitaveras ad mensam tuam, & unus fuit ex discubentibus ad cœnam magnam quam fecit tibi Simon leprosus in Bethania.

Sed amicus tuus ille fuit, de quo mortuo dicentes audimus te: Amicus noster dormit: vivens & moriens amicus inventus fuerat: fortis fuit illic plus quam mors dilectio: mortuus & suscitatus, inter amicos & commensales non mirum si computatus est.

Sed, heu! quænam fuit dormitio mea, Domine, à qua suscitasti me! dormiebam in pheretro, rapido cursu portatus à passionibus multis in interiora mortis, velut filius ille unicus matri suæ ab adolescentibus portabatur, quem suscitasti ad portas Naim:

Dormiebam in medio catulorum leonum, nec eram conturbatus: jacebam exanimis & miserabilis: verberaverant me, & non dolebam: mortiferæ plagiæ quibus eram confossus supra numerum, pu-

tresactæ à facie insipientiæ meæ tetterimum Deo
& hominibus foetorem scandali exhalabant, & in
profundum malorum cùm venissem, lætabar &
contemnebam.

4. Nunquid vel sat erat, ô Domine Jesu, piissime Salvator meus! quòd ad monumentum accedere ubi posuerant me, non horrueras?

Quin, & à vinculis absolutum, à sudario quo
facies mea erat ligata liberatum, vermbus &
putredini misericorditer eruptum, & horrore tenebrarum æternarum, voluisti commensalem tuum
fieri, & ad mensam tuam admitti.

Dignatus es pane filiorum reficere, qui nec
rebatur inter vilissimos mercenarios tuos locum
habere; imò cui pro maximo erat, cum catellis de
micis edere quæ cadebant de mensa Domini mei.

O Domine! quàm benignissimè expertus sum
verbum illud, quod effudit os tuum clementissimum:
quia venisti quærere & salvum facere quod
perierat!

Et quia venisti Medicus malè habentibus, Sal
vator perditis, miserator infixis in limo profundi
& miseria, vita dormientibus in sepulcris!

Lux sedentibus in regione umbræ mortis, dux
errantibus in inaquoso, & viam civitatis habitaculi
non invenientibus!

5. Sed & cibus & potus pauperibus & mendicis,
vinum læticans mœstis & tristibus, panis corro-

borans cor infirmis & timidis fieri dignatus es, & in eadem alimonia lac parvulis & pusillis propinare, & solidum cibum grandioribus & perfectis.

O qui inter parvulos illos dignatus es annumerare me! perfice opus tuum: perfice, ô clementissime Domine! & hoc adde, ut tribuas mihi parvulorum illorum qualium est regnum tuum, simplicitatem & candorem, humilitatem & obedientiam:

Ut magis ac magis, saepius & confidentius accedere possim ad te, qui dixisti, Sinite parvulos venire ad me; semperque possim tibi dicere: Semper, Domine, semper da mihi panem hunc.

Fac ut in spiritu parvulorum accedam ad te, qui quondam parvulus nobis nasci voluisti in Bethlehem, posteaque in Nazareth parvulus & contemptus educari, ut fabri filius, inter eos qui non noverant litteraturam.

Tu ipse, piissime nutritor animarum nostrarum, digneris quotidiè frangere parvulo tuo panem sanctum tuum, qui de manu parvuli pueri sumptos quinque panes in deserto, dignatus es cibi exhibere mensuram quinque millibus viris, nec tantum sufficientem, sed & consertam & superfluentem in duodecim cophinos fragmentorum.

6. O parvule qui nobis natus! ô fili qui nobis datus es! miserere super fraterculos tuos sustinen-

tes te, & non habentes in se undè nutriant animas suas deficientes in via.

Da panem de cœlo verum: escam præbe sequentibus te, nullumque aliud refugium vel habentibus, vel quærantibus, nisi ut in sinu tuæ dilectionis soveantur à te:

Ut velut pulli, ut tanquàm modo geniti infantes colligantur sub alis tuis, & ut demùm facti filii crescentes usque ad virum perfectum, possint à te solo poscere panem suum quotidiè cum fiducia & amore.

O parvule, cuius principatus super humerum tuum in tollenda cruce à primo hypostaticæ unionis instanti, cuius regnum per crucem stabilitum est in secula, cuius sanctum jugum evacuavit juga omnia dæmoniorum!

Deduc sub vexillo isto crucis sanctæ & jugi sancti tui, parvulos illos, quos mensæ tuæ dulcissimæ comparticipes facere non dedignaris.

Æquum & dignum est, Domine, ut qui non modò aluntur à te, sed quibus cibus & alimonia ipsemē fieri dignatus es, in finem & excessum diligens tuos qui erant in mundo, tui pleniū & superabundantiū facti, jam vivant propter te, vestigiis tuis inhæreant, tecum crucifigantur, comoriantur, consepteliantur, ut quondam tecum resurgere mereantur.

Hanc præstet fortitudinem animæ fragili,
 & crucis asperitatem fugienti, spiritus tuus quem
 infundis super servos tuos in convivio illo sancto,
 ubi non jam, velut dilectus Discipulus inter cibos
 legales recubuit primùm in sinu tuo, sed ut ipse
 per fœdus Testamenti novi mox recumbere dig-
 natus es in corde illius, ita & adhuc dignaris in
 animabus nostris recumbere in eodem fœdere sa-
 cramenti tui.

CAPUT III.

Quanto amoris affectu ad Altare acceden-
 dum, ubi recolitur fervens memoria
 Passionis Christi.

Vox Discipuli.

i. **A**DJUVA me, Domine, & illumina fluc-
 tuantem animam meam: desiderio enim desidero
 accedere ad te, & simul contremisco præ immun-
 ditia cordis mei.

Aruerat cor meum quandò oblitus fueram co-
 medere panem meum: revivixi quandò panis
 hujus recordatus, quo abundè nutrire in domo
 tua dignaris mercenarios tuos, surgere & ad pa-
 trem redire statui de regione diræ famis & egestatis;

nec tunc suavissimum hunc panem denegasti re verso, & in superabundantia clementiae suscepto:

At nunquid eò plus crescere debet ausus filii nequam, quia pater ejus melior est? & quia tecum ad manducandum panem in mensa tua, in solemini gaudio reversionis meæ admittere me dignatus es, quotidiè ingerere me præsumam ad convivium sanctum, cum cæteris fratribus meis, qui nunquam mandatum tuum præterierunt, qui semper tecum fuere & sunt, & quibus vis omnia tua sua esse?

Nunquid & illud, etiam post condonata crimina, apud homines foret criminosa præsumptio? Coarctor nimis.

2. O Domine Jesu, qui patrem misericordissimum sic te exhibere dignatus es iis qui peccaverunt, & supra modum peccaverunt, filiis tuis, modo corde perfecto revertantur ad te! notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam dubii multi & anxietatis plenam.

Sed nunquid non confitebor tibi postquam conversus est furor tuus, & consolatus es me? nunquid postquam Deus, ipse, salvator meus, à facie ejus fugiam?

Absit ut non confidam; fiducialiter agam, & non timebo.

Spem & fiduciam sentio crescere cum ardore, dum intra me recognito quantum distat cœlum à terra, tantum distare cogitationes tuas, Domine, à cogitationibus hominum:

Dum scio te cogitare cogitationes pacis , pacis veræ , pacis perfectæ , pacis non qualem mundus dat , qui totus in maligno positus est & in dolo , qui dum dulcorat os suum & parcit , septem nequitias parat in corde .

Audebo igitur panem illum beatissimum , quo solo satiari potest cor meum , quotidiè petere à te , ô Domine Jesu !

Quærām desiderio quotidiano quotidianum panem , quæque pretiosa mundi pro illo ineffabili cibo dare paratus :

Quærām gemens & plorans ; & si ex duritia mea , ad mensam tuam eveniat me sine lacrymis accedere , in misericordia tua confido quia non sines , ô piissime & amantissime refector languentium animarum , recedere absque planctu & gemitu !

3. Et quomodo potero memoriam passionis & mortis tuæ recolere frigido corde , aridâ mente , siccis oculis .

Cùm enim in tam salutifero divinæ institutionis mysterio , vivifica illa hostia quâ Deo patri reconciliati sumus , in altari per Sacerdotes immolatur ; idem incruentè immolaris , quia in ara crucis semel cruento te ipsum obtulisti :

Et qui semel in cruce , morte intercedente , æternam operatus es redemptionem , noluisti per mortem sacrificium tuum extingui .

Ideò in novissima cœna quâ nocte tradebaris ,

quo tempore erga te ultra metas omnes sœvitura
jam erat humana crudelitas , visibile sacrificium
hominum naturæ compatiens instituisti :

Ideò , ut sacrificii hujus , quod mox eras con-
summaturus , usque ad finem seculi memoria per-
manceret , novum statuisti sacerdotium :

Ideò æternum sacerdotium tuum secundum
ordinem Melchisedech manifestans , corpus &
sanguinem tuum sub speciebus panis & vini Deo
Patri offerens , & sumendum tradens Apostolis
tuis sub earundem rerum symbolis eandem obla-
tionem ipsis , & eorum in facerdotio successoribus
offerre præcepisti , quandò dixisti : Hoc facite in
meam commemorationem .

Ergo quotiescumque manducamus panem hunc ,
vel calicem bibimus , mortem Domini annuncia-
mus donec veniat , & memoriam abundantiae
miserationum ejus eructamus .

4. O quàm æquum est ut servus tam stupendè
redemptus à domino suo , ut homo tam immenso
gratificatus dono , quotidiè toto corde , totâ animâ ,
totâ mente devotè plangat super unigeniti Dei Filii
passionem & charitatem , ipsi confixus adhæreat ,
& incessanter gratias agat , qui ita dilexit nos , &
lavat in sanguine suo !

Quàm justum membra compati capiti suo , per
eujus baptismum sanguineum abluta sunt : fratres
fratri condolere , in multis fratribus primogenito ,

per cuius vincula ab æternis vinculis soluti sunt : filios convulnerari patri , cuius livore sanati sunt !

Quàm dignum recolere opus mirabile quod est supra exemplum & humanam omnem expectationem & cogitationem : charitatem quæ omnem modum excedit : donum quod superat omne pretium : gratiam quæ transcendent omnem condignitatem !

O quantùm incalescere debet retributionis amor in tantæ pietatis mysterio , in tam ineffabilis institutionis beneficio , in quo in institutoris amori non semel immolari satis fuit , sed hoc insuper voluit , ut quod semel oblatum fuit in pretium , jugiter colatur per mysterium :

In quo idem ille agnus , semel occisus in tormentis & ignominiis hominum , hominum fieri voluit perennis viætima , ut quotidiè viveret in memoria Ecclesiæ sanctæ Sponsæ suæ , semperque ei præsentior foret in gratia !

Quanto piæ recordationis affectu amplectendum amoris tanti mysterium ! quàm crebrò piæ imitationis effectu prosequendum !

5. Apparatus exterior mensæ illius , per visibilia religionis & pietatis signa , ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent contemplationem , excitat mentes nostras :

In altari crucem , in calice sepulcrum , in patena lapidem superpositum , in corporali sudarium , in

substratis linteis linteamina crucifixi, mortui & involuti inspiciamus oculis fidei, & ibi inveniemus lauta fluenta, cibabimurque pane lacrymarum, & potum sumemus in lacrymis absque mensura.

Nam quo pacto amator Jesu à lacrymis poterit temperare, & mœorem amicum non habere, ad memoriale passionis & mortis ejus accedens, & inspiciens calicem sanguinis ejus:

Sanguinis, tam copiosè exundantis per diras plagas pedum & manuum adhuc vivi & crucifixi: sanguinis, qui & ante tormenta ex ardore quo tristitia sensus usque ad mortem pertingens repulsus est, tam novè guttatum decurrit in terram in sudore sanguineo, qui & post mortem adhuc fervens, & post consummatum sacrificium exivit de sacro latere vulnerati?

6. Fac, Domine, ut tam dira patientem videam te, & aperiantur oculi mentis meæ, ex illuminatione fidei & dilectionis ardore, quotiescumque circum altare sanctum tuum sto, & mensæ tuæ particeps fio, vel spirituali solùm affectu, vel etiam sacramentali perceptione, juxta quod optat de filiis suis, quoties sanctis mysteriis intersunt, Ecclesia Sponsa tua:

Videam in meditatione profunda in qua inardescat ignis, à Discipulo venditum, ab illo qui simul tecum dulces consueverat sumere cibos osculo proditum, nec aversatum ab ore perfido & labiis dolosis:

Agnū mansuetissimum in medio luporum per homicidas manus vinculis constrictum instar latronis , inter gladios & fustes contumeliosè raptatum :

Sequar , vel à longè cum Petro , ut videam finem : finem illorum quæ manus invisibilis & æternum consilium Dei decreverunt fieri per manus peccatorum , de Jesu uncto hominum Salvatore :

Sequar & videam te consilio malignantium Pontificum præsentatum , & ibi veritatem alto & tremendo sermone confitentem , blasphemum judicatum & morti addictum :

Statimque post nefandam condemnationem , cum horrore & fremitu conspiciam vultum tuum Angelis desiderabilem , sputis servorum & Ministerum coinquinatum , sacrilegis manibus cæsum , velo in derisum opertum , & contemptibiliter colaphizatum .

Dein hæc indignissima à propria gente passum , vinclum traductum ad Prætoris tribunal malitiæ consilio profundiori , ne simpliciter , quod per semetipsos poterant , lapidareri tanquam reus solummodo in ritus gentis tuæ , sed ut in crucis patibulo morereris , & ex seditionis nota infandiori , Apostolica nascens Ecclesia sancta tua per terrorem Cæsaris & Romanæ potestatis dispergeretur & evanesceret :

Ibique , & apud Herodem contempler quomodo vilissimus reputatus Dominus noster Jesus ,

& etsi innocens apud Prætorem & Tetrarcham
judicatus, ludibrio utrobiquè fuerit derelictus &
spretus, cum latrone & homicida ponderatus, &
altè latroni & homicidæ postpositus à gente sua:

Quomodo illusus & illusorum cohorti traditus,
spineæ coronæ puncturis mille tremendum caput
suum divulnerandum tradiderit, arundinem pro
sceptro gestare non recusaverit, ipsamque libenter
tradiderit Militibus percussoribus, & irrigoriè fa
lantibus & subsannantibus:

Quomodo ille Agnus innocens jam opprobriis
& doloribus saturatus, immanissimis verberibus
voluerit divelli in virginea carne sua, plagiisque
plagas, livores livoribus infligi, jubente Judice
cujus timido pectori nihil obvium fuit ultrà, præ
ter crudelis istius & immeritæ correptionis for
mam, quâ plebeio furori insontem subduceret;
qui & ex justitia, & ex humanitate, & ex Ro
mana æquitate & potestate intra vexilla prætoriana
videbatur ad ipsum traduci tutandus:

Nec sic fatiata fuerit gentis perfidæ, sanguisugæ
& crudelis aviditas, tandemque præ vano sedi
tionis terrore, innocens Jesus Militum manibus de
volutus ab eodem Judice fuerit, morte turpissima
consumendus, qui justum & innocentem ipsum
pronunciaverat palam dicens: Innocens ego sum
à sanguine justi hujus.

7. Auditam attonitis & horrescentibus auribus

clamorem sacrilegum nefariæ gentis, divini sanguinis cum opprobrio effundendi immane scelus super seipsam audacter fuscipientis & super filios suos:

Et mox inspiciam ingratos & perfidos agricolas eduentes unigenitum Filium charissimum Domini sui extra vineam & per manus Gentilium Militum immâniter occidentes, qui justos fructus requisitus advenerat, prædictus hæres in Sion ex scriptis Prophætarum, sed & hæres constitutus universorum, hæres & gentium usque ad terminos terræ.

Videam incurvatum dorsum Domini mei sub crucis onere: eundemque Magistrum & Dominum meum, quod ad ignominiam parabatur ab hostibus infensissimis, in immensa charitate convertentem in exemplum & doctrinæ sanctæ firmamentum, quâ omni tempore usque ad diem retributionis Discipulos suos vocat, dicens: Si quis vult venire post me, tollat crucem suam.

Ut quod mandaverat verbo, confirmaverat continuò vitæ tramite intùs & exteriùs crucifixæ à primo hypostaticæ unionis instanti, visibilis & palpabilis crucis portatu, etiam rudioribus & grossioribus ingeniis primum philosophiæ sanctæ suæ rudimentum inculcaret.

Inspiciam tandem coactè per Simonem sublevatum, non ex miseranti animo Judæorum, sed

ex fæviori & crudeliori timore ne citius & ante crucifixionis ignominiam animam exhalaret :

Demùmque ad locum supplicii deductum , mirrâ & felle potatum , turpiter nudatum , in medio latronum ferreis clavis patibulo crucis affixum , & elevatum terram inter & cœlum , utrisque mediatorem :

Et tunc qui hactenùs non aperuerat os suum , sed sicut agnus obmutuerat coram tondente se , audiam in atrocioribus tormentis positum , effundentem animam suam in verba benedictionis super crucifixores , & excusatoriis verbis pro ipsis Patrem ardentius deprecantem , & dicentem : Pater , ignosce illis , quia nesciunt quid faciunt .

8. Ad vocem divinam hanc accedam , peccator ego omnium pessimus & inveteratus malorum , scelesto illo Rege legis Dei persecutore scelestior , quia illo illuminatior , superbiente & sese efferente illo Babylonis ædificatore culpabilior , quia spiritus interioribus donis amplioribus ditatus , quàm ille terrenis & temporaneis , ego hominum omnium facinorosissimus , qui etsi tam abundè illuminatus , tam fæpè prolapsus , heu ! invenior inter rursùm crucifigentes , infeliciter ex verbis Apostoli computandus .

Sicut peccatrix quæ dilexit multùm , ita accedat anima mea in humili & ardente compunctione , in fletu & planctu & suaveolenti balsamo , plena

Spe abyssum miseriæ meæ in abyssō incommensurabilis pietatis & superabundantis expiationis , per ipsius hujusce efficaciam clementissimæ vocis , absorbendam fore :

Totaque liquecat in igne amoris , in sensu compassionis & punctione doloris , in conspectu Domini sui dulcissimi Jesu , tam dirè vulnerati propter iniquitates nostras , tam profundè attriti propter scelera nostra :

Cujus contritio facta est velut mare , cuius decor & species evanuit , qui sceleratis annumeratus est , & quasi leprosus & novissimus virorum æstimat⁹ , & reputatus quasi percussus à Deo & humiliatus , & tanquam abortivum projectus ab utero matris suæ infelicis Synagogæ , & inter manus alienigenarum extra castra , extra Jerusalem consummatus .

9. O Pater sancte , Pater misericordissime ! respice super dilectum Filium factum obedientem usque ad mortem , mortem autem crucis , factum holocaustum suavissimi odoris in conspectu tuo , ut avertat indignationem tuam à nobis :

Respic de sanctuario tuo , de excelso cœlorum habitaculo , & intuere hanc sanctam hostiam quam tibi offert magnus Pontifex noster , sanctus puer tuus Dominus Jesus , pro peccatis fratrum suorum .

Vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce : respice super sacrificium sanctum , quod

non jam in figuris & sanguine vitulorum & hircorum, Pontifex qui habeat orare pro peccatis suis, sed quod offert in sanguine proprio, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, Jesus Filius tuus, Sacerdos æternus.

Intuere, Domine, nec unquam ab oculis tuis recedant cicatrices Salvatoris nostri Jesu, sedentis nunc à dextris tuis: ejus qui caro & frater noster est, amplam satisfactionem, copiosam redemptionem intuere.

Iram tuam multam meruimus, Domine; sed si appendas in statera peccata nostra & diram passionem & mortem talis Redemptoris, gravius propendebit ut propter ipsum dones nobis omnia delicta, quam ut contineas in ira misericordias tuas.

10. Et tibi, Domine Jesu, fortissime zelotes, quid gratiarum retribuam, ut dignè retribuam ego pulvis & vile figmentum?

O qui eò usque dilexisti me, ut animam tuam in mortem perderes, quò animam meam perditam mihi redderes, quid retribuam?

Quid habeo inops & pauper, præter illam ipsam vitam quam dedisti plasmans me, quam redditisti moriens pro me, & in morte tua monumenta aperiens & mortuos fuscitans? sed & quam mihi quondam mortuo, tumulato & tam misericorditer fuscitato prorogare voluisti in pane

sancto æternæ vitæ , ut funiculo triplici , tibi in immensum devinctum foret cor meum ?

Quomodo ad mensuram debiti attingere possem , Domine , per me infimum homuncionem , qui nec valerem , etsi rependerem terram & cœlum , & omnem ornatum eorum ?

Tui , Domine , muneris est ut & ipsum quod debeo & quod possum retribuam : tua mihi sequenda vestigia : tu mihi diligendus toto corde , totâ animâ , totâ virtute .

Sed quandò & quomodo sic adhærebit anima mea post te , nisi veniens ad te , & quibus potero ferventioribus desideriis suspirans , accedam ad sacra mysteria in quibus tuæ passionis & mortis memoriam reliquisti ?

11. Ad memoriale sanctum istud confugiam , cuius vel solus vivificus odor confortat deficientem animum meum , cuius ineffabilis sapor virtutem tribuit , & vitam animæ meæ , cuius cœlestis efficacia ascensiones disponit in corde meo præ desiderii servore .

In sacra novi foederis mensa , jugum sanctum tuum mihi quotidiè suaviùs fiat : leviùs evadat humeris meis onus quod post te bajulare me jubes .

Inclina per virtutem sacramenti , inclina super servum tuum , etsi indignissimum , suavem crucem illam , quæ lignum vitæ est his qui apprehendunt eam .

Confige cruci manus meas & pedes, & totum passioni tuæ conforma servum tuum, ut verè crucifixus intret in sanctuarium sanctum tuum, in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, portam cœli, sacramentum amoris & pietatis in quo habitas.

Ibi requiescat ingrediens & egrediens: ibi abscondatur donec pertranseat furor tuus: ibi commoriatur, ibi consepteliatur tecum, ô dulcissime Jesu! ut tecum & per te consummetur transitus ejus:

Ibi tandem indignus ille servus, in miseratione tua acceptus, *transiens* per diem laboris, per diem crucis, ad tertiam diem resurrectionis, diem primam æterni sabbati, feliciter possit pervenire, teque tunc demùm revelatis oculis aspicere, & adimpleri lætitiâ vultus tui, ô Jesu, merces nostra magna minis!

Qui dum peregrinamur à te quotidiè ingemiscentes, latens sub velo sacramenti, stillas quasdam & primitias claritatis æternæ & suavis profluvii æterni omnium bonorum fontis, dignaris quandoque immittere in animas servorum tuorum in æterni cibi temporali perceptione.



C A P U T IV.

In sacris Mysteriis, primæva superabundanter felicitas Hominis reparatur.

Vox Discipuli.

i. O QUAM incomprehensibilis miseratio tua erga nos, Domine, & quām superexcellens dignatio misericordiæ & dilectionis & munificentiaē tuæ, in sacrificio novi & æterni testamenti tui!

Redimere nos ab æternis vinculis, reducere vincitos de domo carceris in admirabile lumen tuum: in libertatem filiorum Dei non satis fuit:

Panem Angelorum, panem de cœlo verum, panem de cœlo præstitum insuper dare dignatus es homini redempto:

In abundantia suavitatis tuæ, parasti homini reparatio panem corroborantem cor ejus, & vitam lætificans animam ejus.

Quid amplius & felicius fuit homini, cùm in honore esset, & antequām per inobedientiam & subsecutam concupiscentiam incurvatus, compararetur jumentis insipientibus, & similis fieret illis?

Quid altius, quid mirabilius habuit homo de-

terra terrenus, etsi in sublimitate conditus, p^aradisi accola constitutus, Dominus terræ stabilitus, civis supernæ Jerusalem designatus, domesticus Dei factus, ejus amore, & agnitione, & familiaritate ditatus, quod non superabundanter suppeditet novus homo de cœlo cœlestis in sacra mensa sua, in qua fit homo particeps cibi civium supernorum, & consors Angelorum?

Quām admirabilis domesticitas! quām stupenda nimis familiaritas in convivio sancto, in quo qui manducat panem sacrum, manet in Christo, manet in Deo! Christus manet in eo, Deus manet in illo.

2. Nihil habuit indigentiae primus homo, nihil habuit sentire molestiae: nihil habuit in anima quod offenderet, nihil habuit quod puderet.

Quid deest homini in sancto convivio, cui ipse Deus cibus factus animæ ejus, ipse vera merces ejus? quid restat tristitiae in animæ intima unione cum Christo castissimo Sponso ejus?

Quid poterit in corde hominis, infeliciter quādiū in carne militat revirescens radix illa peccati, quam reprimit ignis illius fervor, quem venit mittere Christus in terram, & quem ipse accedit in corde, ubi admissus dignatur cœnare cum homine, & ipsum ad secum cœnandum admittere?

Quid ultrà habebit quod pudeat animam in corpore quod corruptitur & aggravat illam,

ēum ipsummet corpus in sancto convivio templum
Dei fiat, & habitaculum Spiritū sancti?

3. Dum pane cœlesti nutritur homo mendicus
& pauper, de nuditate & egestate in tabernaculum
transit, ubi repositi sunt omnes thesauri gratiæ,
ubi abscondita est altitudo divitiarum scientiæ &
sapientiæ, misericordiæ & miserationis, potentiaæ
& virtutis Dei:

Ibi jam non vivit propter sc̄, sed propter eum
qui cibat illum pane vitæ, nec jam vivens ipse,
sed Christus in ipso, tribulationum & humilia-
tionum aculeos absorbet & punctiones, quia procul
abest ab eo, gloriari nisi in cruce, & superabundat
gaudio in omnibus tribulationibus suis:

Ibi perficiuntur habitus sancti virtutum, repri-
mitur imaginatio lasciviens, castificatur caro super-
biens, reducitur cor à meta divertens, roboratur
animus in seipso deficiens, infringitur tentatio
concutiens.

4. O donum super omne donum, ubi qui super
omnia, & in quo omnia, & per quem omnia,
ipse donans simul & donum est, idem cibans &
cibus est, conviva & convivium est, munerans
& munus est, offerens & oblatio!

O ineffabile convivii sancti ferculum, quod in
magnificentia miserationis contulit nobis Verbi
Patris incarnatio, Verbi carnis facti in finem im-
mensa dilectio, Verbi institutoris charitas omnis

potens ! quodque ex transmissa potestate mirabili, sacerdotale ministerium usque ad consummationem seculi ministrat quotidiè Ecclesiæ filiis in circuitu mensæ Domini.

O quām alta est & divina potestas Sacerdotum, qui non semel in anno in arcæ intimius tabernaculum, sed quotidiè, verè & propriè in Sanctum Sanctorum ingrediuntur, & tabernaculum ubi Deus habitat cum hominibus !

O quām sanctas manus oportet esse, per quas panis æternæ vitæ quotidiè fidelibus præparatur !

Undè hoc nobis, piissime Domine, ut miseri homunciones, vermiculi reptantes super faciem terræ, qui sumus pulvis & cinis, te possimus præsentem habere præ manibus, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris ?

Hæccine meruit limus, folium aridum, stipula sicca, dum intumescens & desipiens quæsivit contra præceptum adapertioñem oculorum suorum, & ex superbiente voluntate, sicut Deus esse tentavit :

Dum putans se aliquid esse cùm nihil esset, vel si aliquid, hoc esset per te, tam nefariè seduxit se, tam superbè altius ascendere voluit absque te ?

5. O ineffabilis & prorsùs inaudita bonitas apud terrigenas, verè & planè digna ejus qui solus bonus

Scelestè ascendentem hominem ad divina dum
reprimis

reprimis & castigas ex justitia, labentem in sinum miseriarum prosequeris ex misericordia: Verbumque descendens de cœlis, hominem venit edocaturum quo pacto Filius Dei nominari possit & fieri: luminique superaddit & cibum, quo nutritus totus fiat divinus:

Sicque, dum totus transiens in sinum Christi, ut in ipso maneat, & Christus in eo, vetus Adam per novum ad viam veram reducitur, quam in superbia frustra speraverat invenire per se:

Dum ineffabiliter unitur Deo in admirabili sacramento, ad Deum usque verè evehitur, & ad primævi desiderii metam sub pio tandem ductore pervenit.

O feliciter, ultra omnem inexcogitabilem modum, reparatum Adæ peccatum per incarnati Verbi mysterium, & corporis & sanguinis ejus sacramentum!

Ab ortu solis ad occasum, ab aquilone ad austrum, in oblatione munda, juxta Prophetæ vaticinium, ejusdem unius horæ momento, obedienti Deo voci hominis, per opus omnipotentis charitatis victima præsto est, Agnus Dei cibus factus, unus in multis, idem in diversis locis.

Agnus dictus occisus ab initio seculi in revelatione sancta, quia reconciliatio generalis, & hostia salutaris pro salute mundi in medio temporum factus, præcedentia & subsequentia amplexus est,

attingens de fine ad finem per virtutem & efficaciam sacrificii sancti sui.

6. O fortunatum & pretiosum dotalitium, quod Sponsæ tuæ Ecclesiæ sanctæ indulgere dignatus es, ô Jesu benignissime!

O memoriale dulcissimum dilecti sui, quod ipsam tenere voluisti, dum vaderes accipere regnum, & reverti!

O Jesu dulcissime, dulcis in nomine, dulcis in facie, dulcis in voce, dulcis in opere! dulcior adhuc demonstraris in convivio sancto tuo:

Verè dulcis in nomine, cuius oleum effusum nomen ejus, nomen consecratum ab æterno, prædictum ab Angelo, salutis plenum, redemptionis nuncium:

Verè dulcis in facie, qui speciosus non solum præ filiis hominum, sed præ millibus Angelorum:

Verè dulcis in voce, cuius in labiis ea diffusa est gratia, ex qua suspensus erat omnis populus audiens illum, cuiusque divinum saporem Ministri ipsi missi ab inimicis ejus experti, altè confessi sunt revertentes ad dominos suos, & dicentes: Nunquam locutus est homo, sicut hic homo:

Verè dulcis in opere pius Samaritanus, qui oleum suavissimum miscuit vino in sanandis vulneribus nostris, humanæ quasi blandiens infirmitati:

At longè dulcior in sacramento, ubi non no-

minis tantum suavissimam spem, non vocem corporeis auribus, non faciem oculis carneis exhibet; sed sancti nominis rem, ipsummet totum donat se Salvator supra modum gratissimus:

Ipsem totus venit in animas nostras hospes amantissimus in abundantia salutis; regnum suum, quod etsi sit in mundo, non est de mundo, in cordibus nostris stabilire dignatur: revelat oculos mentis placidissimâ luce, aperit aures præcordiorum nostrorum verbo penetrabiliori omni gladio ancipiit, & pertingenti usque ad divisionem animæ, usque ad segregationem ab omni re creata & abnegationis culmen.

7. Ibi præfulget charitas, superabundat pietas: ibi immensæ misericordiæ novum genus cæteras superexcellit omnes miserations ejus in nos, sicut ipsæ miserations ejus ex hominis experimento super omnia opera ejus sunt, ut cantatur in psalmo:

Ibi impletur lætitia cor hominis cum vultu Domini, crescentesque sancti amoris desiderio excludat anima nostra: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram; quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?

Ibi deliciatus animus seipso quotidiè altior efficitur, dilatatur, & quanto magis sursùm tollitur, tanto amplius extenuatur in illo nebula terrenæ concupiscentiæ:

Ibi spiritualis totus factus homo, veterem ho-

minem exuit, cum omni fermento nequitiae & malitiæ, fitque velut modò genitus infans, qualium est regnum cœlorum:

Ibi lavat inter innocentes manus suas, circumdans altare sanctum Domini, regno Dei fruitur in terra, quod spiritus & vita est, quod animalem hominem experiri nefas est, vel sensu, vel accessu:

Ibi demùm unus spiritus feliciter fit anima sancta cum Christo.

8. O Domine Jesu! liceat mihi ad hæc anhejare, ad hæc tendere, hæc postulare, & in benignitate, quâ cum peccatoribus olim dignatus es manducare, ad mensam tuam accedere, & tibi dicere:

Ostende te mihi, & sufficit: ostende te mihi te ipsum: in hoc totum flagrat desiderium meum, ut audiam te, ut videam te.

Audiam colloquenter; non sonanti sermone, sed penetranti; non obstrepenti sensibus exteris, sed intus nutrienti affectus; non palam vocanti, velut olim Moysen, ad gloriosum colloquium, sed in abscondito faciei tuæ guttulam infudenti donorum sublimium illorum pro modulo parvitatis meæ, micas cadentes misericorditer dispergenti pauperi & mendico, quas pretiosè colligere queam sub mensa Domini mei, ad refocillandam esurientem & deficientem animam meam. Amen.



C A P U T V.

In Sacramento invenitur specimen
felicitatis Paradisi.

Vox Discipuli.

1. **O** SUMMA veritas, Jesu Domine! quām magna & alta sub brevi verbo promisisti, quandō dixisti: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur!

Hujus nunquām deficientis, nunquām nauseantis, semper percipientis, semperque gustantis, semper possidentis, semperque desiderantis satietatis summa bona, gaudia Dei sunt, vera gaudia, æterna gaudia charitatis indefectibilis, quæ Dominus præparavit diligentibus se:

Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: ô beatam spem animæ justorum in futuris mox æternis seculis!

Sed & nunc adhuc in via, quām felix interim & suavis est in tempore illa mira satietas peregrinantis animæ, quæ esuriens & sitiens te, satiatur à te, cibatur ex te!

Infiriori palato cordis mei, animæ meæ languenti dura & insipida res videbatur esse justitia, quandiu te, Domine, te miseratorem, & salva-

torem, & consolatorem meum non advertebam ipsum esse justitiam meam, sanctificationem, & redemptionem.

Verum ex quo miserum ad misericordiae fontem, peccatorem ad thronum gratiae, nudum ad thesauros virtutum, famelicum ad epulas desiderabiles in sacramento corporis & sanguinis tui, Domine, admittere dignatus es:

Felicitas illius & gloriosæ satietatis etiam mihi pauperiori & indignori præbuisti dulcissimum specimen, quæ est in sancto & æterno convivio tuo in cœlis: ubi anxietas nulla, ubi nullum poterit esse fastidium, ubi summa felicitas, satietas summa, & summum inheret desiderium.

2. Ibi, Domine, per procedentem de spe, veniam gratiam devotionis, per suavissimam delectationem boni, per gustum sapientiae, licet exiguum, quibus interim benignissime refrigeras afflictam & attritam animam meam, obscurè, sed certè prænovi in via, non quid, sed quantum supersit in patria.

Si ex gusto mirabili, in participatione panis sancti, tam suave sentitur in terra incentivum amoris, tam servens irritamentum desiderii, quid erit in cœlo, quid in regno dilectionis æternæ?

Qui edunt me, adhuc esurient: qui bibunt me, adhuc sitient; sed & qui esuriunt & sitiunt, saturabuntur: hæc sunt verba sancta tua, in quibus

nec vel initio viarum tuarum ulla tenebras contrarietatis invenire fas est.

Hæc toto corde recolit servus tuus: his confusus, Domine, quotidie deprecabor te ut des animæ meæ cibo sancto refectæ amplius esurire, & postquam hausit de fontibus Salvatoris, de calice sanguinis novi & æterni testamenti abundantius sitire, cum eò plus sit acceptura, quò plus est desideratura:

Ut des mihi misero sèpè transire ad tabernaculum admirabile, usque ad domum Dei, ibique in mentis excessu, cum parvulis potentibus panem, panem illum supsubstancialē de cœlo præstum, & à temetipso fractum in terra accipere merear:

Ut des peregrinanti in deserto horribili manna absconditum, usquedum Jordane trajecto detur ei comedere de fructibus terræ:

Donesque demùm illuc pervenire, ubi non secundùm imperfectionem, vel modum desiderii qui nunc est, erit habere vel desiderare te, sed perfectè desiderando perfectè habere te, perfectè que habendo perfectè desiderare te:

Ubi mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem animæ præbebis deficienti à terra, nihilque à te volenti in cœlo & super terram præter te.

CAPUT VI.

Christus in Sacramento cibus est. & animæ lux : quantâ munditiâ ad epulum sanctum oporteat accedere.

Vox Discipuli.

1. O TU qui solus potens es arida hominum ossa, per spiritum tuum revocare ad juncturas suas, & adunare in animas viventes ; qui olim aperies tumulos & pulverem vocabis, & respondebit tibi : Educ me miserum de sepulcro concupiscentiarum mearum !

Da cor novum, & spiritum novum pone in medio mei :

Salva me ex universis inquinamentis meis : da ut semper viarum mearum pessimarum recordanti studiorumque non bonorum, displiceant mihi iniquitates & scelera mea ex toto corde, horribilioraque sint oculis meis super portas inferni inferioris.

Instaura, Domine, ruinosa animæ meæ : refice ædificia dissipata : planta inculta & aspera.

Tu solus, Domine, terram desertam & desolatam, vepribus & tribulis confertam potes in hortum voluptatis commutare.

Terra hæc invia & inaquosa , deserta & desolata , ipsa est anima mea , Domine , dum sacramento sancto tuo assiduè non reficitur , & quæ citò arescit , dum obliviscitur comedere panem suum.

Animæ miseræ dirutam & suffossam domum reædifica , & custodi in miserationibus tuis multis , Domine , qui solus potes & firmiter ædificare , & firmiter munire opus tuum.

Fac ut digna sit quæ habeat te , & juxta verbum sanctum tuum pietate plenum digneris manere in ea : ipse enim dicis de eo qui particeps fit sacramenti sancti tui : Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem , in me manet , & ego in eo .

Vox Christi.

2. CONFIDE , fili : ego auxiliator tuus & redemptor tuus : ne timeas , quia ego tecum sum ne declines , quia ego Deus confortans te & auxilians tibi suscepi te in dextera mea .

Confundentur & erubescunt omnes qui pugnant contra te : erunt quasi non sint qui contradicunt tibi , & in consumptionem dabuntur qui bellant adversum te .

Ego , ego sum cuius manus aperit in supinis collibus flumina , & in medio camporum fontes .

Ego desertum pono in stagna aquarum , & terram inviam in rivos : ego pono simul in solitudine

abietem, & ulmum, & buxum, & in deserto cedrum, & myrtum, & lignum olivæ.

Non deficio, non labore in succurrendo: in investigabili sapientia mea novi dare lasso virtutem, & robur multiplicare & fortitudinem his qui pro nihilo reputantur.

Qui sperant in me, induent fortitudinem, assumunt pennas sicut aquilæ, current & non labrabunt, ambulabunt & non deficiant.

3. Quotidiè cibo indiges & lumine, fili mi: quotidiè ad manna absconditum accede in mysterio: quotidiè in fulgore luminis hujus illumina tenebras tuas:

Quotidiè unâ saltem horâ vel spiritu & affectu, vel & effectu sacris præsens mysteriis, si fas est, recole beneficia passionis meæ & redemptionis tuæ.

Reconde fideliter, fili mi, tantum mysterium in memoria: hoc piissimo nutrimento fruere suaviter in conscientia.

Hoc mirabili modo, spiritualiter fas est & imperfectis nutriti pane vivo & vero qui de cœlo descendit, carnem meam manducare & sanguinem meum bibere in memoriam mei, in memoriam dilectionis hujus, in qua dum ad Patrem transirem per passionem & mortem, idipsum specialiter mandavi Discipulis meis dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

Si ergo nefas est oblivisci amici hominis cuiuscunque sub quolibet signo commendatam memoriam, nunquid talis & tantæ pietatis, dum festinarem ad mortem, ullâ die immemor esse vel poterit aliquis ex Discipulis meis?

4. Ad sacrum mysterium, suo tantùm loco, modo & tempore, realiter accedere potest Christianus: omni loco, omni tempore, spiritualiter fructum sacramenti cum debito pietatis affectu participare in promptu est singulis, quotquot annumerantur in gente sancta & populo acquisitionis.

Ad tantæ dilectionis asylum confuge, fili mi, & in vulneribus meis quiesce; ex toto cordis affectu, à quibus manavit pretium remissionis peccatorum tuorum:

Etiam dum vereris sacramento realiter communicare, ne forsan sumens sacramentum sine fructu, judicium tibi manduces & bibas, non dijudicans sacrum cibum, tunc & tibi fas est fructum tanti mysterii humiliter & ardenter appetere.

Desidera sacramenti rem sanctam, fructumque pretiosum sumere tam mirabilis, tamque mirabiliter operantis mysterii: appete & stude dignus esse, ut tibi semper hæc participatio, spiritu, vel re, vita æterna sit.

Vox Discipuli.

5. O quas poterit tibi referre gratias servus

tuus, Domine, quem ita collocasti in loco voluptatis, in domo ubertatis, in paradiso deliciarum!

Et quid possum dicere miser ego, qui inter mensas epulantium fame pereo, sitio juxta fontem, algeo ante ignem, & ad panem manus extendere non laboro?

Vox Christi.

6. **FILI,** audi vocem meam, audi vocem Domini tui vocantis te ad cœnam suam: audi vocem Dei vocantis te ad coenam magnam, nuptias meas, nuptias Filii, qui Sponsus sanguinum factus est in desponsatione Æthiopissæ, Sponsus Ecclesiæ, non in sanguine filiorum, sed suo.

Stude ita vivere ut quotidiè cibo sancto, realiter vel spiritualiter, quo serventiori vales affectu, refici queas & sustentari.

Noli negligere, fili mi, noli prætermittere participationem calicis sanctificationis, quem tanto affectu reliqui Ecclesiæ Sponsæ meæ, tibi, & cæteris filiis meis & suis propinandum quotidiè, ad obtainendum veniam, ad acquirendum gratiam, ad premerendum gloriam.

Sic ergo nunc incipe vivere, fili mi, ut quotidiè panem illum supsubstancialē petere possis ex præcordiis tuis.

Væ qui ex desidia alienum facit se ab eo! sed vœ superhorrendum & superimmane, qui spurcus & immundus accedit!

Utrobiq; periculum grande in elongando se à fonte omnis boni; sed in hoc scelus supra id omne quod excogitari horribilis potest, qui judicium sibi manducare non timet & bibere, non dijudicans corpus meum:

Corpus immaculatum, cibum sanctum, panem Angelorum, delicias cœlorum, Sanctum Sanctorum, scelestè & sacrilegè confundens cum siliquis animalium immundorum.

Custodi oculos tuos, sepi aures tuas spinis, incentivis naturalibus lascivientem carnem frange jejuniis:

Castitatem tuere à specie carnis quæ decipit inverecundos oculos: fuge incautas & otiosas allocutiones, ne libidinis sorde commaculeris:

Castus esto, & mente, & corpore, sed & mundus esto ab omni peccato mortali, ab omni consuetudine prava, ab omni affectu culpabili, ab omni malo, & ad malum vel peccatum affectu, ut cibus ille & potus efficiatur tibi salus & vita.

7. Væ, vae qui propter humanam confusionem, respectum non habent timoris mei, & fordibus pleni, mundissimi potūs & cibi non verentur mysteriis se ingerere!

Væ metuentibus homines, qui vident in facie plus quam Deum, qui intuetur cor, & illuminat abscondita tenebrarum!

Væ, quia non tam grande peccatum peccave-

runt, quos ignis egressus à Domino interfecit in seditione Core, vel quos terra absorbut, & appetiens os suum devoravit cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum!

Væ, quia non tale & tantum fuit scelus filiorum Aaron, alienum ignem offerentium, quos flamma cœlestis absumsit, quale est Christianorum qui ferculum æternæ vitæ, in mortem æternam sibi convertere per sacrilegam participationem non verentur!

Væ, quia si in umbra legis antiquæ, sic sanctificari volui in his qui appropinquabant mihi, & in conspectu populi adeò terribiliter glorificatus sum; in luce testamenti novi quod est in sanguine meo, crescente in immensum charitatis meæ testimonio, eò plus homini pertimescendum fuit, sacramentum & fœdus amoris mei conculcare!

Væ cuius anima, crescente miserationum mearum ostensione, & effusione divitiarum, bonitatis & suavitatis dilectionis meæ, eò amplius obdurata est, cuius eò plus crevit malitia cordis ejus, & cæca temeritas mentis illius!

Væ qui, sicut Judas, osculo tradit Dominum suum in manus peccatorum, qui ludibrio carnis & sanguinis, & animæ peccatricis non formidat tradere unicum suum, qui sibi superest Salvatorem! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.



CAPUT VII.

Ut utilis sacri sit frequentatio Mysterii,
quanta compunctione conterenda pecca-
trix anima : quanta mortificatione do-
munda sensualitas.

Vox Discipuli.

1. PARCE, Domine Jesu, parce & miserere,
ne sermo labiorum meorum delictum fiat oris mei
nimiū confidentis, & comprehendar in superbia
& præsumptione.

Quis sum ego peccator immundissimus, qui
enarrēm testimonia tua, & mysteria sancta valeam
enucleare Agni immaculati ?

Væ, quia tacui diù nimis miserationes tuas,
quas ostendisti mihi magnas & multas !

Sed vae etiam mihi, quia altiora locutus sum,
quoniam vir pollutus labiis ego sum !

Heu ! quot vana, quot falsa, quot turpia per
hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me
recolo, in quo nunc cœlestia revolvere verba
præsumo !

O quam vehementi timore concutitur anima
mea, dum jamjam audire credo in me vocem

dicentem mihi: Quare tu enarras justitias meas;
& assumis testamentum meum per os tuum?

O Domine Jesu! jube de superno altari tuo
carbonem unum afferri, qui multam & invete-
ratam immundi oris mei rubiginem, ad plenum
exurere queat: quatenus altaris tui sancti mysteria
quod habemus in nova lege, & de quo edere non
habuere potestatem qui tabernaculo veteri deser-
viebant, ferventi possim qualicunque celebrare
colloquio.

Vox Christi.

2. Ego sum ignis consumens, fili mi, qui
solus mundum facere possum hominem in ini-
quitate conceptum: ego solus mundare valeo cor-
tuum, & os tuum: ego victima, Sacerdos &
altare tibi sum: accede humiliter & contrite:
accede confidenter & perseveranter, & citò mu-
taberis in virum alium.

Agnosce tempus visitationis meæ: dilata cor-
tuum, & implebo illud: animam tuam venio re-
paratus quæ prior corruit: corpori, suo tem-
pore, curam dabo, quando veniam reformaturus
corpus humilitatis tuæ, configuratum corpori
claritatis meæ.

Anima corrupta in culpam fecit ut corpus cor-
rumperetur in pœnam: mederi venio animæ priùs:
hæc sollicitudo mea est animas salvæ facere, Me-

dicum exhibere me malè habentibus, Agnum Dei quotidiè fieri tollentem peccatum mundi.

Venio tibi mansuetissimus peccati destructor, ut per assiduam corporis & sanguinis mei ferventemque & humilem participationem, tollam illud à te, tollam à corde, tollam à manu, tollam ab ore, tollam ab oculo, tollam à collo, tollam & à carne ipsa cui altius infixum est:

Tollam à corde, cor novum creans, & infundens spiritum novum: tollam à manu, commissa peccata delens: tollam ab oculo, purgans cordis intentionem:

Tollam à collo, superans sceptrum exactoris, violentam removens diaboli dominationem, computrescere faciens jugum vetus à facie olei mirabiliter suaveolentis quo unctus sum tibi Salvator:

Tollam à carne, reprimens per efficaciam cibi sancti, carnis immaculatae, vini germinantis virginis, concupiscentiarum & desideriorum illorum somitem quæ tam sœpè conturbant te:

Faciamque cum tentatione proventum, ut possis sustinere luctam illam quotidianam, tam acerbam, tam molestam, per quam discerpitur interior homo, quæ nec finietur, nisi quando in morte sic discerperis ut anima separetur à corpore.

3. O anima ad imaginem Dei facta, & similitudinem ejus! hospitium para factori tuo: dilatare in charitatis fervore, ad amplitudinem conditoris tui,

& condionis tuæ, ut sis perfecta, juxta quod &
Pater tuus coelestis perfectus est.

Ad te vénio, ut fias unus mecum spiritus: hospes
tuus, ipse est qui reformare te solus & queat &
velit ad formam illam primævam, vel mirabilio-
rem, in superabundantia pretii quo redemit te.

Absterge fletibus habitaculum tuum: lacrymis
tuis stratum riga quod paras Sponso sancto tuo:
munda cor tuum: oportet ut tabernaculum meum
sanctum sit & immaculatum, quia ego sanctus
sum.

Hospes tuus non jam Angelus, quemadmodum
ille quondam per quem repleta est Tobiæ domus
omnibus bonis:

Nec ut olim hospitalitatem sectans ardenter,
Angelos tres hospitio meruit excipere Abraham
sub umbra tabernaculi sui, hospitandos habes spi-
ritus missos à Deo, servos & ministros Altissimi:

Nec sola offert sese hic visio Angelorum, ob-
viorum tibi dum properas, velut Jacob, ad pa-
ternam habitationem, ut putes adesse castra An-
gelorum.

Castra Dei verè sunt præcordia tua, dum ibi
requiesco in mysterio sancto: verè est Dominus
in loco isto, nec est hic aliud nisi domus Dei.

Ibi manet, ibi hospitatur Altissimus, ibi com-
moratur qui facit Angelos suos spiritus, & minis-
tros suos ignem urentem, fons & origo perennis

bonorum omnium , qui & Angelos & homines coronat , & omnia creata simul in misericordia & miserationibus , beneficentissimus Magister & Dominus.

4. O quantūm debes satagere , fili , ut habitandam exhibeas mihi animam tuam , ab omni inquinatione carnis & sanguinis mundatam , ab omni affectu terreno & transitorio purgatam , ab omni propriæ exquisitionis & affectionis vinculo liberam , nullo nævo , nullâ maculâ , nullâ rugâ infectam , saltem quo meliori modo per voluntatem bonam humanæ fragilitati fas est , in qua septies in die cadens justus ex naturæ miseria , toties resurgit per gratiam , nec deficit à via mea !

O quantūm vigilare debes & orare , ne intres in temptationem , & ne rugienti leoni introitum & locum des , qui circuit semper quærens incautos quos devoret !

Quantūm , ut libereris & à laqueo venantium & à negotio perambulante in tenebris operationum terrenarum , & à sagitta volante etiam in die lucis , in die vitæ spiritualis & illuminatæ !

O quantūm ab inimicis hominis domesticis ejus , à sensibus tuis carneis & corporeis cavendum , ne anima aggravetur à corpore quod corruptitur , & per luteam habitationem deprimatur sensus summa cogitans , valeasque , dum apud ipsam hospitor ,

colloquio meo frui , & sedens secus pedes meos,
æternæ vitæ verba audire !

O quantū debes attendere ne vituperia Simoni
nisi incurras , apud quem olim dignatus sum in-
trare , ut panem manducarem !

O quantū peccatricis verè compunctæ laudes
ambire , quæ dilexit multū , actus & affectus
imitari !

5. O quantū pedibus meis satagendum tibi
aqua ministrare in lacrymis sine mensura , dum
intro sub tectum tuum , ut in cordis contritione
& humiliatione acceptabile fiat sacrificium tuum :

Oleo caput meum ungere , frangere alabastra
nardi spicati pretiosissimi , ut impleatur tota do-
mus ex odore unguenti fragrantissimi , in devo-
vendo ex corde totum id quod es , quod habes &
potes :

Osculum dare , & si non altum sapiens & am-
bulans in magnis , idem præsumens quod potuit
Simon & neglexit , osculum hospitis , amici &
fratris , saltem in humili imitatione osculum pec-
catricis Naimitæ , diligentis & lacrymantis , os-
culum servi pœnitentis , & ad jugum meum re-
vertentis , osculum famuli debitoris ad optimum
Dominum consugientis , osculum filii ad patrem
in humilitate & contritione redeuntis , in deos-
culando pedes Salvatoris tui , speciosos pedes pa-

cem veram evangelizantis cordi tuo !

O quanta cum alacritate vox tibi excipienda
Salvatoris dicentis : Festina , quia oportet hodiè me
manere in domo tua ! Quali cum gaudio ingressuro
debes obviam ire , quanta cum humilitate intran-
tem sub tectum tuum suscipere , quanto affectu
cœnam magnam velut in Bethania ei facere , &
fatagere circa frequens ministerium !

Quantâ animi gratitudine totum voluntati meæ
te exhibere formandum ! quanto & amore gra-
tias agere , & animi stupore mirari quod ad ho-
minem peccatorem divertere , etiam nunc non
sim cunctatus !

Vox Discipuli.

6. O quām verè multus & nimius es , Domine ,
in misericordia & bonitate , dum homini compa-
rari , hospitarique dignaris in animabus nostris !
quis opera tua considerat , & non expavit ?

Quæ humana mens , hominis lapsi tam mira-
bilem reformationem ausa fuisset sperare ? imò
quæ potuisset tam inauditam redemptionem præ-
sumere ? sed quæ potuit excogitare quæ addidisti
mirabilibus tuis , memoriam illorum relinquens
in sacro mysterio , & carnem tuam immaculatam
& sanguinem sanctum in cibum & potum con-
vertens per sapientiam & omnipotentiam tuam ?

Verè in hoc mirabilis facta est scientia tua ex

me: confortata est in immensum, nec potero ad eam: verè ad illam nequit homo pertingere, nisi per gratiam tuam, Domine.

Da, Domine, gratiam veræ fidei, quæ illuminet oculos meos; dilectionis gratiam & compunctionis, quæ mundet animam meam; donum spei & fiduciae, cum quo à te omnia queunt impetrari.

Sed ut tam sancto, pio & desiderabili saepius & ferventiū frui valeam hospicio, reprime in me sensus terrenos & carneos: frange, qui quotidiè militant adversùs animam meam, motus pravos:

Destruere legem quam assiduè invenio in membris meis repugnantem legi mentis meæ: averte à me suggestiones pessimas, quibus affligitur interior homo ab exteriori:

Miserere & protege per efficaciam gratiæ sanctæ tuæ; & interiori susurro miserationis tuæ consolatus, audiat servus tuus, velut olim Apostolus tuus: Sufficit tibi gratia mea.

7. O caro misera insipiens & cæca! noli quaerendo transitorias & caducas consolationes, animam conturbare, quæ facta est tabernaculum Dei:

Noli, demens & insana caro, turbare fortunata sabbata mentis, cui jam vivere Christus est:

Noli tantam restringis tuæ, & sociæ, gloriam & gratiam, ex vanis clamoribus tuis elongare vel impedire.

O corpus meum ! scito quia & gloria animæ redundat & nunc , sed in futurum abundantiū redundabit super te ; & quia prima illa glorificatio ejus , est & tua in præsenti , simulque pignus glorificationis majoris , in futuro resurrectionis .

O dum sedit anima tua , & haurit in gaudio de fontibus Salvatoris , in adventu Christi per gratiam in sacramento , castificata & mundata in sanguine ejus , sitias & tu quām multipliciter ex documento Prophetæ , in desiderio adventū ejusdem Domini in gloria sua !

Noli impedire vel morari festinantem animam tuam ad nuptias Agni , quia si & ibi anima restituta fuerit in gradum pristinum , à quo excidit per peccatum , ipsa memorabitur tui apud Dominum suum , ipsa suggeret ei de te , & loquetur bonum pro te , ut & tu restituaris , & particeps fias gloriæ suæ .

O si nihil potes per te , sine ipsa , in hoc exilio & afflictionis loco , & si cuncta bona in ordine naturæ , præstat illa tibi , quæ tibi sociata fuit , quid non præstabit in ordine gratiæ , reconciliata & Domino suo effecta eò usque grata ut apud ipsam hospitari dignetur , & manere & requiescere , etiam dum in valle lacrymarum , in hac regione tua , longè à sua , adhuc peregrinatur !

8. O corpus ! nihil ad salutem tuam potes per te : ut ergo per animam sociam tuam valeas vocari

cum ipsa in æternæ felicitatis participationem, adjuva animæ sancta cum Christo commercia; adjuva silentium faciens, cedens hospiti & hospitio sancto locum potiorem; & ad hoc, si oporteat, accubare non recuses vel in angulo domûs, vel in ipsis cineribus:

Nec patere solùm ut ipsa pro se laboret anima tua; verùm quia laborat & pro te, magis collabora ei, quia si compateris, & contegnabis.

Fac misericordiam cum ipsa, dum exulans in poenam peccati, illa eadem apud quam in exilio isto non dignatur Christus hospitari, hospitatur apud te, & aliquando cùm post exilium revelata facie Domino suo fruetur, orabit ad eum, ut retribuatur tibi.

Interea te totum expone necessitatibus animæ tuæ, non parcens tibi, ut ipsa quotidiè sanctior evadens Deo ferventiùs uniatur, & familiariùs in ipsa Christus habitare dignetur, cuius deliciae sunt esse cum filiis hominum.

Nunquàm remittas cooperari cum ipsa in meliùs, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti, in frigore & nuditate.

9. Si sic collabores, verè fies in terris templum Spiritùs sancti, & ipse Rex gloriæ, qui jamjam pro animabus salvandis in humilitate venit in adventu priori, & qui vel ex nunc hospes dulcissimus fit animæ

animæ sociæ tuæ in abscondito faciei Dei: pro suscitando te quondam venturus est in gloria & maiestate: pro glorificando te quondam in plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus, de pulvere vocaturus est te, & in ineffabili statu novo, in quo erunt homines velut Angeli Dei, rapturus te obviam sibi in aëra præmiandum cum anima sancta.

Interea in hoc exulta, limi filia, quod fias tabernaculum Christi hospitantis apud te, ideoque discé sub jugo sancto regi & subdi terrestris socia:

Et quod est insuper, ô caro primùm destruenda! requiesce in spe, expectans donec appareat ille qui per sanctam resurrectionem suam primitiæ dormientium factus est:

Donec veniens primogenitus noster redempta suscitet corpora fratrum suorum:

Donec reformans quæ sunt facta complantata similitudini mortis ejus, similia faciat corpori claritatis suæ. Amen.





CAPUT VIII.

Sacri perceptio Mysterii, ineffabilis
panacæa.

Vox Discipuli.

I. MISERATIO tua, Domine, super me, quoniam poterit explicari sermone? quānam celebrari gratiarum actione?

Quid est homo quia innotuisti ei? aut quis filius hominis quia visitas eum?

Quis, ut in sacramento sancto tuo, verè cum ipso quandoque manere digneris?

Quis sum ego, ut Dominus meus loquatur tecum, si non facie ad faciem, ut olim cum Moyse, at revelatâ saltem facie oculis fidei, & verè sicut solet loqui homo ad amicum suum, sic dignetur intus loqui cum anima servi sui, requiescens in tabernaculo ejus?

Toto corde, totâ mente procidentis ad pedes tuos, Domine, & in spiritu prostrati & adorantis in veritate, miserere servi tui.

Et inveniam, obsecro, misericordiam & gratiam in conspectu tuo, ut quemadmodum rogavit te ille amicus tuus pro populo sibi commisso, & exaudisti vocem ejus, ita & mei rogantis pro

anima mea quam redemisti, vocem exaudire digneris.

2. Obsecro, Domine, ut non alius, sed tu dominator Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata, gradiaris tecum in deserto vitæ hujus:

Ut digneris esse dux meus, ô qui longanimis es, & parcis, & amas animas nostras! quia duræ cervicis homo sum; & auferens iniquitatem meam omnem atque peccatum, possideas me & stabilias pactum tuum, pactum amoris sempiterni intra me in sanguine testamenti sancti tui.

Miserere mei, Domine, miserere mei sub illo cupiditatis somite, sub illo infelici incentivo peccati, sub illa lege repugnante quæ est in membris meis, heu! quotidiè ingemiscens, quæ à parentibus primis in poenam peccati delapsa est in filios illorum.

O misericors Redemptor meus! dum sinis me loqui ad te, confitebor Domino meo omnes miseras meas, qui solus potest succurrere & misereri.

Sentio me non solum inquinatum, sed & vulneratum & graviter quassatum: ô quanta curatione indigeo miser peccator in peccatrice voluptate & iniquitate conceptus, in malo nutritus, tamquam diu in via peccatorum conversatus!

Quis poterit ulceris originalis, & per vitæ

pravæ consuetudines inveterati, reducias novam
semper saniem effundentes coercere, præter te,
qui solus potuisti delere chirographum damnationis
nostræ, & lavare nos in sanguine tuo?

O qui unius diei immundum infantem lavare
dignatus es primùm, qui & tam sæpè ad alterum
illud pietatis & misericordiaæ tuæ lavacrum pœni-
tenti paratum confugientem, ineffabiliter indul-
gens & longanimis non repulisti!

Efferos illos concupiscentiæ motus frange: ul-
ceris recrudescens lethalem effectum compesce:
tremendum illud responsum mortis, quod indè
tam facilè, tam miserè manare potest, tolle
prorsùs:

Et ab illo æstu pestifero, ab illo tam sævo tur-
bine, securum umbraculum præbe sub penna ala-
rum tuarum.

Vox Christi.

3. CONFIDE, fili, & in hoc exaudivi te: hanc
tibi gratiam contuli per efficaciam redemptionis
in sanguine meo, ut ne jam concupiscentia no-
ceat, dummodo à consensu abstineas, nihilque
sit damnationis in iis qui manent in me:

Et in hac lucta tristi gratia mea ineffabiliter
subvenit tibi: esto fortis, in fide auxiliantis in
tempore opportuno, simul & cum timore &
tremore salutem tuam operare:

Cœlestem medelam , salutiferam & ineffabilem panacæam , supra quod potuit sperare vel exco-
gitare ad liberationem anhelans homo miser , ipsum corpus meum in cibum , & sanguinem in potum converti providus in miseratione , ut in hoc fer-
culum haberet paratum , tam efficax ad medicinam ; quâm solidum ad nutrimentum & ad saporem deliciis plenum .

Non satis hoc fuit charitati quâ dilexi te , ut portarem omnia peccata in carne mea , & per passionem & mortem meam redderem te de servo liberum , de infirmo incolumem , de extraneo cohæredem :

Addidi insuper cœleste remedium , spirituale antidotum contra humanæ concupiscentiæ ulcus antiquum :

Et per sacramenti corporis & sanguinis mei per-
ceptionem , terreno homine mortificato & domito , interiorem hominem creo , & ad hoc sublimitatis in terra erigo , ut in participatione sacramenti mi-
rabilis , fiat Verbi divini conviva , Dei & Domini sui particeps , civium cœli socius , deliciarum pa-
radisi possessor :

Sed hoc primùm operatur in te participatio mysteriorum sanctorum , ut & sensus minuatur in minimis , & in gravioribus peccatis tollatur omnino consensus .

Dum ergo non tam sœpè , non tam acerbos

fentire est iracundiæ & concupiscentiæ & aliarum passionum motus, gratias ferventer & humiliter age corpori & sanguini Domini tui, quoniam virtus sacramenti operatur in te: gaudε qud̄ ex eo ulcus pessimum ad sanitatem accedit.

Igitur ad sanctum & sanctificans ferculum frequenter accede, in quo est auxilium, vita & fortitudo tua.

4. Ad sanctum convivium quotidiè propera, & vel re, vel spiritu, quā potes ferventiori devotione, in remissionem præteriorum delictorum & remedium futurorum, percipe cibum sanctum:

Sed veni lotus & mundus, & cave ne intres ad mundissimas nuptias non vestitus veste nuptiali:

Nec si sis lotus & caput & manus cum fidelibus Discipulis meis in die cœnæ, obliviscaris te adhuc indigere, ut & pedes laves.

Etsi intentio sit sancta, & operatio recta, insuper mundandi sunt pedes tui, qui facilè inficiuntur in pulvere terræ gradientes.

Animæ transitorias affectiones, animum quandoque, vel ad horam, plusquām oportet, vanitati, aut voluptati, aut curiositati cedentem, in pœnitentiæ lavacro mundare memento.

Noli hæc minora & levia contemnere & parvū pendere:

Noli perniciosâ securitate dormitare:

Noli declinare ad excusandas excusationes in peccatis.

A me solo & per me solum hæc dilui fas est:
nisi lavero te, non habebis partem mecum.

In his ergo cave ne negligas: agnosce coram
mē & confitere quia quotidiè delinquis in multis,
& quod defuit vigilantiæ, diluat confessionis hu-
militas.

5. Sed ne nimiâ sollicitudine conturberis, bo-
num est ad humiliationem tuam, concupiscentiæ
luctuosam luctam hanc te experiri, etsi in ista
graviter affligaris.

Bonum est ad informationem tuam, ut sentias
quid tibi præstet gratia mea, & incessanter ad
eius recurras auxilium:

Et dum pia dispensatione de minoribus peccatis
pariter tecum agitur, ut ea penitùs à te auferri
obsecrationibus tuis non concedatur, noli nimiùm
contristari:

Sed experiendo minima te non posse cavere,
disce & certior esto te non tuis viribus majora
superare:

Et sic erudieris quotidiè vigilem esse, sollicitum
& timoratum, quomodò auxilium gratiæ non
amittas, quam tibi adeò summè necessariam sentis,
ut libereris à malo.



CAPUT IX.

In sacri sumptione Mysterii, quam secura,
quam alta præbeatur doctrina.

Vox Discipuli.

I. **D**IRIGE, Domine, & sanctifica propositum
meum, ut non quod bonum videtur oculis meis,
sed quod tuis complacitum sit, non quod volo, sed
quod tu, id semper perficere valeam corde pleno.

Doce me tecum absconditam, mundo mortuam,
tecum consepultam vitam ducere :

Doce me ita partiri dies meos, ut totum vitæ
tempus quam habeo à te, retribuatur tibi vel in
orando, vel laborando, vel studendo : totum sibi
vindicent hominem tria hæc exercitia cordis,
mentis & corporis.

In oratione accendatur, illuminetur & confor-
tetur cor meum : in studio dometur mentis peri-
culosa otiositas & inquietudo : in labore corpus
humilietur & conteratur.

Insuper & hoc rogabo te, quod addere digneris
ad solatium servi tui, ô benignissime Redemptor
& Salvator meus ! ut pro ineffabili misericordia
& pietate tua, à sacris mysteriis corporis & san-
guinis tui me, etsi indignissimum, non repellas

quandoque, ne arescat cor meum, si obliviscatur
comedere panem suum, ne deficiam in via qui
exivi in deserto quærens te in simplicitate, &
sequens te, per gratiam tuam plusquam triduo sus-
tinui te.

Christus.

2. FILI, audi verba mea, & diligenter custodi
ea, conferens in corde tuo.

Docebo te abscondi, mori & tecum consepe-
liri: docebo te orare, & labores & studia sanctifi-
care: & in abscondito faciei meæ admittam te in
sacramento meo, ipseque in illo exemplar mons-
trabo tibi vitæ perfectæ.

Quos præscivit conformes fieri imagini meæ
Pater, hos sanctificavit in me & per me: stude
ergo, fili mi, in omnibus mihi conformis fieri.

Ama nesciri, fili mi, quemadmodum & à pri-
mo sacrificii mei momento in carne super terram
abscondi vultum meum:

Quemadmodum, ex quo aptavit mihi corpus in
sinu Virginis Matris, qui umbraticis oblationibus
& sacrificiis veram & unam hostiam substituere
meditabatur, latere complacuit mihi, ita & com-
placeat tibi apud homines ignorari.

Nesciebar requiescens in tabernaculo Virginis
præsanctificatae: nesciebatur ab orbe toto, dum
requiescebat in opere manuum suarum, qui crea-
verat illud, summus opifex.

: *T 5*

3. Ex tunc liber in terram missus sigillis signatus est: Verbum caro factum, per fidem conceptum, ex virtute Spiritus sancti, habitans in terris, Virginis soli notum est:

Clausumque mysterium contulit in corde suo humillima Virgo, donec Spiritui complacuit paucis praelectis revelare gloriam ejus.

Sub velo desponsationis Virginis Matris absconditum est sanctum & ineffabile commercium cœli & terræ.

In paupertate præsepii, in vagitibus multis, in humilitate pannorum nascens, latere volui universo mundo, exceptis pastoribus pauculis & pauperibus.

A facie Reguli, ego Rex ad hoc natus, Rex Regum, Rex verus, cuius vocem audit omnis qui est ex veritate, abscondi me, & in Ægyptum fugi brachiis inopis Matris & fabri portatus, eligens latere profundius.

Subditus Matri & Joseph, in duris rusticationis & fabrilis artis laboribus manus meas callescere volui & plagari in domo eorum qui diligebant me, Adami poenitentis exemplum imitatus ab adolescentia mea; & hoc complacuit mihi novo superindui velamine, ut in medio Nazarenorum prorsus nescirer.

4. Fortiores sigilos addidi, ut in carne fragili celaretur præsentia majestatis:

Sigillum in toleranda tentatoris approximatione, quo & ipse deluderetur:

Sigillum in patibulo crucis, in quo cum scele-
ratis deputatus sum:

Sigillum in sepultura, quod altius obstruxit &
occultavit immensæ pietatis sacramentum.

Deliciæ meæ latere, fili mi, & postquam in
humilitate abscondi celsitudinem & majestatem
veniens in mundum & in terris conversatus, ad
Patrem vadens, & iterum relinquens mundum,
in mysterio memoriæ passionis & mortis meæ,
sub quo memetipsum dedi filiis meis in cibum &
potum latere elegi oculis carnis & solis inspici
interioribus fidei & dilectionis obtutibus.

Hoc ergo disce ex me, fili, in perceptione
suavissimi sacramenti, libenter latere & abscondi
in brevi peregrinatione vitæ tuæ.

5. Contemplare lucernam veram quæ illuminat
omnem hominem venientem in hunc mundum,
per lustra sex sub modio positam, & erubesces
super candelabrum invehere te ignorantiae & con-
cupiscentiae tenebris involutum.

Si tandiù sub modio in silentio & subjectione
ego subesse volui, si per annos multos, in humi-
litate laboris & submissionis, tacens expectavi,
donec præfinitum tempus meum adimpleretur,
donec veniret hora mea:

Nunquid præsumes tu à teipso altius ascendere,
& velle arroganter præesse, antequam subesse in
humili gradu didiceris?

Diù meditare sub modio, fili mi, & sub umbra
alarum mearum cresce & maturesce in virum
perfectum, antequam velis lucere super candelabrum
his qui in domo mea sunt.

Ne acquiescas elevari, dum neophytus, & no-
vitius, & adhuc infans es diei unius, fili mi, ne
citò ambulans in magnis & mirabilibus super te,
in superbiam vertaris, & in judicium incidas
diaboli.

Anteà disce & mori tecum, & tecum con-
sepeliri, fili mi: hoc disce quotidiè in ejus sacra-
menti perceptione, in quo mortuus terrenis om-
nibus, & sub signis & speciebus conseptus, in
sinu Ecclesiæ meæ immoror omnibus diebus,
laetis alimoniam parvulis ejus præbens, simul &
grandioribus & perfectis solidum cibum, utrosque
confovens, nutriendis & confortans.

6. Si quæris regnum meum, si illud fideliter
tibi proponis stabilire primùm intra te, paratus &
illud exindè extrà diffundere, quandocunque vo-
caverit te Spiritus meus:

- Disce consepeliri velut granum frumenti, &
mori omnibus quæ mundi sunt, ut resurgas ad
vitam gratiæ; & tibi vivere obliviscaris, ut vivas
mihi, & tunc eas & fructum multum afferas in
patientia.

Quoquò respexeris, fili mi, seu vitam attendas,
seu mortem meam: sive dies ostensionis, sive
annos absconsionis:

Seu tempora in quibus palam locutus sum mundo, in quibus beati hominum oculi viderunt in carne salutare Dei, beatae aures ipsorum audierunt in carne docentem sapientiam Dei: seu quae subsequuta sunt, in quibus diem unum videre Filii hominis desiderantibus filiis meis, restat solum in mysterio ineffabilis dilectionis querere & inspicere me, & beati nod videntes & credentes:

Ubique, & nascentem, & viventem, & morientem; & absconditum, & clarificatum; & conversantem in terris, & in mysterio involutum degentem in coelis, invenies hoc unum docere Magistrum & Dominum tuum Discipulos suos, abscondi, latere, consepeliri & mori, si mihi velint conformes fieri.

7. Fili, hoc quotidiè postula in oratione, & in hoc postulando anticipent vigilias oculi tui.

Sed etsi certo loco & tempore, quotidiè orationi prolixius insistendum tibi sit, ne intra vel loci vel temporis limitem concludatur oratio tua.

Oportet semper orare, & nunquam deficere: ubique cogitare fas est, ubique libeat & orare.

Nec vacent labor & studium ab oratione sua.

Dum corpus deorsum curvatur & flectitur in pœnam peccati, evehe sursum cor tuum: dum caro exterius domatur in labore, intus conversatio tua in coelis sit:

Dum corpore in laboriosis operibus versaris, &

cum filiis Adami flagellaris , mente quæ sursùm sunt quære , quæ sursùm sunt sapias.

Ingemisce in æternum illud tabernaculum cui flagellum non appropinquabit , in quo repleberis in bonis domûs meæ , satiaberis cùm apparuerit gloria mea :

Tabernaculum admirabile , in quo amodò jam dicet Spiritus ut æternū requiescas ab opere , & transeas in voce exultationis , & confessionis , & laudis.

8. Ut in studiis & scientiarum adipiscendarum exercitiis non arescat spiritus orationis , nec siccari experiaris fluenta lacrymarum , fuge vana : id primum & summum & unicum studium tuum sit , ut scias quæ sit voluntas mea beneplacens & perfecta , ut hæc sit constans studiorum inquisitionum & lucubrationum tuarum regula.

Scientia vera illa est quâ doceris benè omnia facere , piè verba tua dirigere , cogitationes , intentiones & affectus rectè & sanctè ordinare , studens perfectus fieri , & dignus filius vocari Patris tui , qui in cœlis est.

Scientia vera illa sola est quâ melior efficitur homo in malum pronus ab adolescentia sua :

Quâ instruitur mens , componitur animus , stringitur cor , illuminatur intellectus , purificatur affectus , & ad eum tendit anima à quo exivit & ad quem vadit :

Quâ informatur interior homo omnem cogitationem suam intentam habere in eum à quo est:

Quâ intimis hominis oculis demonstratur summa charitatis lex, ut ex toto corde, tota anima, tota mente diligat eum à quo, in quo, & per quem est, & in ipso & propter ipsum, factum ad imaginem & similitudinem ejus proximum suum, similem, sibi, fratrem suum:

Quâ convincitur homo de necessitate mediatoris, ad remissionem delictorum suorum; de necessitate ductoris, ut educatur de regione longinqua valdè & remota; de necessitate redemptoris, ad confringendos ferreos & prægraves compedes suos; de necessitate illuminatoris, ut fiat lux in medio tenebrarum ignorantiae & concupiscentiæ propriæ, in medio tenebrarum mundi in totum positi in maligno, & stantis in concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ.

9. Cave à vanitate scientiarum, fili mi: vanitas magna est, si extollaris ex multitudine cognitiorum & varietate, dum expers & inops es vel initialium virtutum:

Si dum mens superabundat divitiis, in arido corde regnet bonorum actuum & affectuum penuria lamentabilis.

Cave à superbia scientiæ quæ inflat: ne intumescas, si adsint, vel vis acutior cogitandi & intelligendi, vel tenacior facultas reminiscendi, vel

modus & vis dicendi promptior, vel fortior, aut facundior.

Si ex his nihil est in te quod non acceperis, noli injustè gloriari de non tuo: noli intumescere, quasi non acceperis: noli inflari ex bonis datis.

Donantem glorifica, dum uteris donis ejus, nec quidquam aliud præter usum tibi attribuas in multa gratiarum actione & humilitate.

Cave ne fraudes de ulla parte gloriæ donorum largitorem: huic soli gloriari fas est, qui est, qui solus sanctus est, solus omnia bona habens ex suo, Deus factor tuus: ipse enim fecit te, & non ipse te: ipse filius est, qui prout sibi complacuit ex eadem massa fingit, & vas in honorem, & vas in contumeliam.

Si ingenii dotibus ad hoc uteris ut doctior repoteris, talento dato abuteris, fructus non tuos in proprios convertendo, usuras non tuas subripiendo.

Sin, ut melior quotidiè teipso fias, & eas de virtute in virtutem, talentum duplicas Domino tuo, qui veniens, & cum laude recipiens de manu servi sui modicum illud fideliter administratum, super immensa te constituet.

Quid habes, fili, quod non acceperis? A paucis annis, nuperrimè inveniris in terra: intra paucos alios quosdam annos, citissimè non apparebis, nec invenietur locus tuus.

Manè egressus quasi flos qui vesperè marcescit,

& quòd sis, & quòd noscas te, hoc habes ex factore tuo :

Quòd noscas dignitatem tuam & finem peregrinationis tuæ in carne fragili, quòd scias undè venias & quòd vadas, quòd dignoscas introitum tuum & exitum tuum, hoc habes ex eo qui plasmavit te, & creavit te.

Ne quæras cognoscere te in te, vel ex te, ne evanescas, sed in me & per me, ut scias te in veritate.

10. Fili, ne declines à fonte primo, à fonte sacro, à fonte uno veri & boni.

Si sitis, veni ad me, veni ad fontem aquæ salientis in vitam æternam : reficere pane vivo, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, quem qui manducaverit, non morietur in æternum.

Verba mea spiritus & vita sunt, spiritus quo de terrenis ad cœlestia eveharis, vita quâ protegaris à morte peccati.

Verba mea vacua non sunt, sed exemplis firmata: antè cœpi facere, quâm docere.

Onera gravia & importabilia non imponam humeris tuis, sed onus leve & jugum suave.

Quidquid grave, quidquid importabile Discipulis meis fore prævidi, cruci meæ affixi, ipse bibi, ipse & nomine Salvator & re, ipse, fili mi, exinanivi usque ad sacerdem.

Confide: solæ manent unctiones à cruce, ex quo cruci affixus sum.

Crucem unxi qui Christus sum, Christus verus qui manet in æternum, quem Pater unxit, & misit in mundum:

Non mihi unctus, non mihi Christus sum, sed tibi.

Si permanseris mecum in tribulationibus meis, non deerunt unctiones omne amarum deglutientes.

11. Dum ascendi dispositurus tibi regnum, sicut dispositus mihi Pater, ut quondam edas & comedas super mensam meam in cœlesti regno meo, miris modis providit amor meus, ut non relinquenter te orphanum, ut non relinquenter esurientem & sitiensem in via:

Et mensam disposui interea, ut & edas & bibas in terrestri regno meo, suave convivium, vinum cum melle mixtum, mirabiliter lætificans cor, panem cum lacte, quo dulciter alatur, potenter confirmetur cor hominis.

Accede ad eam, fili, & in illa quære omne solatium & gaudium tuum, quandiu peregrinaris à me.

Ibi senties ardescere cor tuum, dum loquar tibi in via, & exponens scripturas, spem tuam firmabo:

Ibi cognosces me in fractione panis dulcissimi;

& dum mecum convesceris, aperientur oculi tui.

Accede, ut valeas manere in me, vivere propter me, & in æternum vivere: qui enim manducat meam carnem, & babit meum sanguinem, manet in me: qui manducat me, vivet propter me: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Casto corpore & mundo corde accede: accede cum pura conscientia & devota mente, & sic probatus de pane illo ede, & de calice bibe:

Considera vitam tuam, & emunda cor tuum ab omni malitia, ab omni veneno invidiæ, iræ, & voluntatis malæ, ab omni fermento noxiarum, intentionum & cogitationum:

Dimitte ex corde omnibus & singulis qui in te peccaverunt, ut & tibi dimittatur: & sic poteris accedere ad fontem vivum, fontem honorum omnium, & de fontibus Salvatoris tunc haurire aquas in gaudio, de petra melle saturari, sub cortice sacramenti pane Angelorum sustentari.

12. At dum undè vivit Angelus in cœlis revealata facie, indè tibi vivere in terris conceditur sub velo mysterii, cave ne sicut qui in deserto manna manducaverunt, per murmurationem & inobedientiam & incredulitatem mortui sunt, & tu escam sanctam, spiritualem & divinam manducans, per culpam & ignorantiam & negligentiam moriaris, & spiritu mortuus vivas in infirmitate, imbecillitate & somno.

Accede purus ad altare , de quo edere non habuere potestatem , etsi purificati , veteris legis Sacerdotes : ad holocaustum sanctum , oblationem oblationum omnia antiqua expiationis & pacis , & gratiarum actionis , & laudis sacrificia complementem :

Oblationem benedictam , per quam benedicaris ; adscriptam , per quam in cœlo conscribaris , & de nomine tuo in cœlis scripto in spe humiliter possis gaudere ; ratam , per quam in sinu meo & vivere & moveri censearis & esse ; rationabilem , per quam ab homine animali in totum exuaris ; acceptabilem , per quam qui ex peccatis propitiis displicuisti , possis confidenter accedere ad thronum gratiae in sanguine meo .

Vox Discipuli.

13. O quid referam , quid retribuam miser & humilis servus Domino meo pro his quæ retribuit mihi , dum seipsum mihi tot miris & ineffabilibus modis retribuere dignatus est , in redimendo , in reducendo , in illuminando , in alendo peccatore errabundo & cæco , inope & mendico ?

Confitebor tibi , Domine Deus meus , in toto corde meo , & glorificabo nomen tuum in æternum , quia misericordia tua magna est super me , in eruenda anima mea ex inferno inferiori :

Confitebor quoniam magnus es tu in miseri-

cordia & miseratione, nec est similis tibi, & secundum opera tua.

O Verbum, de sinu Patris ad nos veniens, in tantæ superabundantia charitatis, non reversurum vacuum ad eum qui te misit! custodi animam meam, quoniam per dignationem tuam, adeo supra modum tibi sanctus sum & sanctitus.

Verbum ineffabile, inscrutabile, incomprehensibile, Dei Fili, qui dignatus es visibilis, sensibilis & contrectabilis fieri, veniens in ergastulum istud redempturus nos:

Verbum Dei, Verbum vitæ factum caro in incommensurabili pietate, audi vocem deprecantium te, quibus per incarnationis tuæ dignationem jam dicere fas est: Ecce nos os tuum & caro tua sumus.

14. Tu es pastor noster, pastor bonus, pastor optimus, cui soli oves educere & reducere, & heri & nudius tertius, & usque ad consummationem ævi datum est:

Tu provides pascua ovili tuo omni tempore: tu proprias oves vocas nominatim educens eas, & ante eas vadis:

Tu pascis perfectè gregem tuum: pascis voluntate & affectu præeunte, verbo nutriente, exemplo confirmante.

Serva oves tuas, nec rapiat eas quisquam de manu tua: fac ut audiamus & sciamus vocem

tuam , & perseveranter sequamur vestigia tua,
ô pastor sancte !

O qui tam sæpè in oratione pernoctasti , tam
acerbè in deserto jejunasti , tam abundanter in
horto Gethsemani ex omnibus membris in sudore
sanguineo lacrymatus es , non tibi , sed errantibus
& quæ perierant ovibus tuis pernoctasti , jejunasti ,
lacrymasti !

Ne sinas , quas tot vigiliis , tantis curis , tanto
amore dignatus es oviculas tuas reducere , iterum
separari à te , & in æternum perire .

Confirmas eas , Domine , confirma nos pane
sancto , in cuius fortitudine grandem viam quæ
restat nobis , perficere possimus , & feliciter per-
venire ad montem Dei , montem præparatum in
vertice montium .

15. Hunc supersubstantialem panem , quem in
patria manducat Angelus ore pleno , sine me pe-
regrinum hominem comedere pro modulo meo ,
ne lassescam & deficiam in via :

Et ut ad communitatem beatæ refectionis An-
gelorum in cœlo , miser & exul tandem queam ,
te miserante , transire , ô qui sub velo sacramenti
lux & redemptio , medicina & fortitudo animarum
nostrarum , simul & illarum voluisti in terris re-
fæctio fieri salutaris ! hoc tuâ admonitione forma-
tus , audeo rogare , si nondum inter perfectos , at
saltem , ut & me miserum ex plenitudine indul-

gentiæ tuæ , vel inter cæcos illos & claudos ,
paupéres & debiles , bonos & malos , quos in effu-
sione magnificentiæ & misericordiæ tuæ com-
pellis intrare ad prandium paratum in domo tua ,
digneris admittere ad hoc sanctum convivium .
Amen.

C A P U T X.

Ex collatione Sacrificiorum Legis veteris ,
Eucharistici Sacrificii sublimitas ostendi-
tur ; incomprehensibili autem fidei Mys-
terio , plenâ & simplici fide accedendum .

Vox Discipuli.

i. ACCEDO ad te , Domine Jesu , videns pau-
pertatem meam , qui nec possum tibi præparare
animam meam , nisi per te .

Videns immunditiam meam & fidei infirmita-
tem , suppliciter postulo hanc angelicam purita-
tem , hoc fidei robur , cum quibus sacramentum
sanctum tuum est percipiendum .

Cor mundum crea in me , Deus , spiritum rec-
tum innova , fidem corroborata .

Siquidem valdè confundor , quotiescumque ve-
teres umbras novi foederis luci , figuræ ritûs Mo-
saici novi ritûs veritati , ceremonias temporaneæ

legis novi & æterni testamenti institutioni, accidit mihi conferre in corde meo.

Tu solus potes hanc præbere munditiam, ô ignis consumens! tu solus fidem firmam præbere, ô lux quæ simplicium & humilium cordibus luces!

Da auditum fidei simplicem: amove superbiam inquisitionum, ubi simplici acceptione infallibilis verbi tui fundamur.

2. Arcebantur olim ab his quæ consecrata erant, quicunque vel minimâ immunditiâ inveniebantur polluti; nec licebat, vel accedere ad sanctificata, vel ex ipsis comedere, nisi mundis & sanctis; & tamen sanctificata illa nihil aliud erant, quam carnes taurorum & vitulorum Domino dicatae & immolatae, umbræ tantum futurorum.

Quanta ergo nunc mihi afferenda sanctimonia, quanta munditia, dum accedo ad hoc altissimum mysterium omnium sacrificiorum complementum, in quo caro tua sancta & immaculata, Agnus Dei verus, qui tollit peccatum mundi, sanguis æterni testamenti, cibus & potus sunt novæ cœlestis cœnæ!

Et si tunc quidquid Domino offerebatur, sive in holocaustum spontaneum, seu ex voti solutione, seu pro peccato, sive pro delicto, aut in pacificorum hostiam, immaculatum erat, nec aliter acceptable fuisse, nisi ab omni macula absolutum:

Quantâ

Quantâ nunc sollicitudine & diligentia opus est, dum sacris mysteriis adsumus, & laudis sacrificium illud offerimus, quod verè honorificat Deum? quantâ affectuum puritate & intentionis rectitudine, manus oportet levare cum cordibus nostris in Filii Dei susceptione? quam mundas & puras oportet esse, in tam sublimis mysterii participatione, oblationes desideriorum & votorum nostrorum, supplicationes, & preces, & gratiarum actiones?

3. Si Dominus percussit Bethsamiticam plebem, eò quod curiosius & irreverenter vidissent arcam Dei, & usque ad quinquaginta millia, percutiente invisibili manu, plaga dæseviit:

In corde contaminato, in sordibus peccati, non contremiscemus nos peccatores immundi, ipsum Deum & hominem Jesum suscipere sub velo sacramenti?

Et postquam ibidem legimus quod conterritus populus luxerit lucu magno, dicens: Quis poterit stare in conspectu Domini sancti hujus?

Non verebimur stare, imo & contrectare, non arcam divinæ legis, sed ipsum legislatorem; non scripta in lapide decem verba, sed consubstantiale Verbum Dei hominem factum, Christi carnem sanctam, in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter?

4. Ad vocem Domini loquentis de rubo ardente

abscondit Moyses faciem suam, non ausus aspicere contra Deum :

Ad vocem Patris de nube confitentis Filium dilectum, Apostoli ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde :

Et ego miser peccator, stans ad pedes altaris in quo offertur cœlestis victima, non contremiscam? vel dum cupio accedere ad participandum dominicum corpus & sanguinem, altitudinem mysterii investigare, donum incommensurabile perscrutari, abyssum charitatis & magnificientiae Dei comprehendere præsumam?

Hæc sit pars mea, Domine, credere & adorare.

5. Missus fuit Moyses à Domino ad populum suum in tribus signis; & qui non crediderunt, vel audierunt vocem signi prioris, crediderunt verbo signi sequentis.

In signis innumeris missus est Christus ad eundem populum, & apud eos opera fecit quæ nemo aliis fecit: viderunt, nec crediderunt.

At memor verbi *beatos dicentis qui non viderunt, & crediderunt*, hæc sit pars mea, Domine, credere & adorare, & dicere cum Propheta: Verè Dominus meus, & hic in ineffabili mysterio est Deus absconditus.

Non fuit satis oculis incredulorum, mortuos ereptos videre de claustris mortis & inferni ad vivificam vocem ejus, nec per omnimodam res-

stitutionem sanitatis corporum à qualicunque infirmitate, experiri virtutem sanantis animarum languores:

Signum de cœlo & supra se voluerunt & postulaverunt terreni & carnales homines, pro minimo ducentes quæ in carne & intra se fiebant quotidiana miracula, & temerè quod habebant repellentes, panem de cœlo verum, carnem sanctam Filii Dei in veritate cibum efficiendum, & sanguinem ejus in potum convertendum horruerunt; dixerunt increduli: Quomodo dabit hic nobis carnem suam ad manducandum? coelestium signorum amantissimum, divinorum donorum pretiosissimum rejicientes.

At ego credo & adoro: confidenter & ardenter suscipio signum de cœlo verum, nec quæro quomodo qui univit homini Deum, per quem Verbum Deus factum est caro in mysterio quod supra nos est, pari mysterio carnem suam dat nobis, ut fiat cibus animarum nostrarum, non conversus in substantiam animæ cibum sanctum percipientis, sed ipsam animam dignè cibum sanctum percipientem convertens in se, ut jam non ipsa vivat, sed vivat in ipsa Christus juxta verbum omni acceptione dignum: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.

6. Credo verbo Dei, credo eum qui per incarnationis mysterium desponsavit carnem nostram,

factum verè Aethiopissæ huic Sponsum sanguinis
in thalamo crucis , per largitionem carnis suæ
sanctæ & immaculatæ intra nos venire , ut ma-
culatam carnem membrorum Ecclesiæ mundet &
sanctificet , simulque per virtutem resurrectionis
suæ , & nostræ quondam futuræ fidem astruat
immortalitatis , & indefectibile pignus det.

Ipse enim tam alti pignoris ministrator , est re-
surrectio & vita ; & qui credit in eum , etiamsi
mortuus fuerit , vivet ; & qui vivit & credit in
ipsum , non morietur in æternum.

Ipse autem Dominus , qui paravit mensam in
deserto , pro iis qui jam triduo sustinuerant eum ,
altiorem illam mensam ex tunc ipsis prænunciasse
cognoscitur.

Mox enim audimus dicentem : Nisi manduca-
veritis carnem Filii hominis , & biberitis ejus san-
guinem , non babebitis vitam in vobis.

Postea autem in cœna habemus jubentem : Ac-
cipite & comedite , hoc facite in meam comme-
morationem : hoc est corpus meum , quod pro
vobis tradetur : hic est sanguis meus , qui pro
vobis fundetur... bibite ex eo omnes.

Illic danda & sumenda prænunciaverat , hic
prænunciata præbet : illic futuram sacræ victimæ
perceptionem detexerat , hic ipsum novi sacrificii
ordinem instituit.

Ubiquè sancta caro ejus verè cibus , & sanguis

ejus verè potus exhibetur nobis sumendus, & in propria & vera substantia, substantiæ nostræ uniendus mirabili & ineffabili modo, ad sanctificationem animarum nostrarum & corporum, & ad quotidianam coalescentiam cum Deo in spiritum unum.

7. Expiationum hostiæ igne absuebantur in lege Moysis: hircus & vitula rufa cremabantur extra castra: sanguis animalium, quia in ipso anima residet ipsorum, fundebatur pro piaculo animæ hominis, & sic anima immolabatur pro anima.

Sed vilior hæc mortalis & terrenæ immolatio victimæ, nequibat satisfacere pro cœlesti & immortalis spiraculo, ideo nec de sanguine, nec de carnibus hostiæ licebat comedere.

At quandò umbræ decesserunt, quandò vera & sola placabilis victimæ oblata est, superabundanter expiato scelere hominis, in signum perfectæ expiationis, expiato non tantùm licet, sed & jubetur hostiæ expiatoriæ, victimæ sanctæ, & calici sanguinis sancti participare.

Sicut phase vetus, Agnus typicus, manducabatur ut victimæ particeps fieret manducans, ita, sed excellentiori modo, novum pascha & verus Agnus Dei, tandiù expectatus & præfiguratus manducatur, & per hanc sanctam manducactionem, Christi Discipulus sacrificio participat in cruce consummato.

Et sicut ad inspectionem sanguinis Agni prioris,

immunes factæ sunt domus Israelitarum à gladio
Angeli exterminantis, ita & in sanguine Agni
immaculati Domini nostri Jesu Christi lotæ &
regeneratæ animæ nostræ eximuntur à gladio ex-
terminatotis; dumque apud ipsas in pace hospitatur,
qui fortem devicit, & in æternum alligavit, frustrà
circum rugiet reversus immundus spiritus cum spi-
ritibus septem nequioribus se.

8. Multi pro patria vitam suam devovere, &
per hoc, nomen suum famæ commendaverunt
apud homines, quod habuere melius & charius
magno animo immolantes, tantæque dilectionis
& fortitudinis exempla memoriae dicata celebra-
tur in terra: vana apud vanos, mundana apud
mundanos.

Supergusus fortes illos omnes Christus supra
modum in dilectione sua, immolans sese pro pec-
catoribus redimendis & reducendis in patriam ve-
ram, per omnipotentiam suam, eandem victimam
usque ad finem seculi manducandam, eundem
effusum in cruce sanguinem propinandum pro-
priassere voluit suis, in quotidianam commemo-
rationem sancti & immensi amoris sui.

Nec durus videatur sermo novi & stupendi
potûs istius & cibi; ipse enim cibi largitor, ipse
cibans & cibus, unum est cum Patre omnipotente,
& sicut Pater habet vitam in se, ita & ipse vitam
habet in se, cumque præbuerit carnem suam ad

manducandum, & sanguinem ab bibendum, mox
præbebit se ascendentem ubi erat priùs.

Suscipiamus ergo testimonium ejus, qui quod
scit loquitur, qui terrena dicit accommodans sese
ad imbecillitatem nostram, & cœlestia operatur
juxta virtutem suam; Filius Dei & hominis, qui
descendit de cœlo, & in cœlo erat stans in terra:

Nec cum Judæis carnalibus contra fas scandali-
zati, carnem & sanguinem Hominis Dei, etsi
verè & realiter sumpta consumenda putemus:
manet Christus integer, etiam dum manducatur,
& caro ejus & sanguis, indivisibilis, indestructi-
bilis, inconsumptibilis & immortalis datur man-
ducanti modo spirituali, supernaturali, invisibili
& incomprehensibili, simul tamen reali & subs-
tantiali.

Spiritus ibi est qui vivificat: absque illo Spiritu
caro non prodest quidquam: Verbi Dei verba spi-
ritus & vita sunt: spiritus & vita sunt caro &
sanguis Verbi Dei.

9. O caro vivificans! adoro te: ô sanguis puri-
ficans! sitio te.

Sicut sancta Mater Virgo beata fuit quæ credidit,
ita fac & me per fidem in spiritu tibi uniri, dum
carnis sanctæ tuæ per communionem particeps fio,
ut caro illa sancta verè prosit animæ meæ:

Sicut illa Virgo sancta, priùs fide concepit Dei
Verbum in spiritu, quam conceperit sinu, &

utrumque per supervenientem Spiritum sanctum,
 & Altissimi obumbrationem in ipsa perfectum fuit,
 sic fac me suscipere & habere te per fidem in spi-
 ritu, ô Domine, qui postquam non horruisti Vir-
 ginis uterum, non horrescis intra pectora nostra
 tabernaculum tuum ponere in hominibus!

Cum sancta Matre Virgine haec sit beatitudo
 mea, non tantum in me habere sanctum corpus
 & sanguinem tuum in perceptione sancta, sed cum
 ipsa, mente audire, & concipere fide perfecta
 verbum Dei, & illud custodire:

Non tantum cum ipsa venturo corpus conse-
 crasse, nato ubera praebuisse, sed cum ipsa Filium
 Dei fide plena intra me suscepisse; & sicut id quod
 in carne ineffabiliter operabatur Spiritus sanctus,
 in mente per ejusdem Spiritus infusionem agebatur
 in illa, ita & in nobis carnis sanctae reali & subs-
 tantiali perceptioni, per fidem firmam & amorem
 oculatum idem dignetur Spiritus addere fructum
 intimum cœlestis & ineffabilis almoniae, quem
 quotidiè percipere mereamur. Amen.



CAPUT XI.

Christus in Sacramento, specialiter
victima transitus.

Vox Domini.

i. **F**ILI, etsi semper recognoscere expediat, te non
hic habere manentem civitatem, sed futuram te
inquirere, hoc tamen specialius attendendum tibi,
cum accedis ad sacram mensam corporis & sangu-
inis Domini tui.

Sacramentum phase pro te est mysterium transi-
tus, & licet tota vita mea transitus fuerit, qui
pertransii benefaciendo & sanando quascunque cor-
poris & animae infirmitates, specialius victimam
transitus complacuit mihi & offerre, & relinquere
Sponsae, & Sponsae filiis, quando venit hora ut
transire de hoc mundo ad Patrem.

Et tu, fili, quolibet vitae tempore memor esto
te non hic habitare, sed transire, non domicilium,
sed tabernaculum incolere: ne putas civem te esse
terrae hujus, sed advenam & hospitem, civem
que te adscriptum in civitate sancta, hic prius ad
probationem tuam & sanctificationem exulem pe-
regrinari.

Ad hanc coelestem patriam tota vita ista transitus.

tibi sit : tene renes accinctos , & baculum in manu ,
 & calceamenta in pedibus , ut primo diluculo , ex
 tenebrosa Ægypto gaudens egrediaris , nihil tecum
 habens fermenti malitia & nequitiae terrenæ &
 carneæ primæ hujus immorationis.

2. Vigila , esto paratus sicut servus expectans
 Dominum suum , sicut prudentes illæ quinque
 Virgines , quæ expectantes Sponsum ipsas intro-
 ducturum ad nuptias , oleum habuere secum cum
 lampadibus suis.

Absque vigilantia transeuntem audire non poteris : sine oleo non poteris sequi , & cum transeunte
 transire.

Ego victima transitus , cibus tibi sum confortans
 te : ego adeps frumenti , in quo robur est hominis
 ad pugnandum & vincendum :

Nec enim sine pugna & lucta promissam terram
 intrare fas est.

Si nutriaris cibo sancto , Dominus tecum erit ,
 ipse pugnabit pro te , videbisque abyssos apertas
 complanari , ut feliciter transeas sub tanto ductore.

Vox Discipuli.

3. O mirabilis potentia ductoris , ad cuius as-
 pectum dividuntur maria , & stant aquæ quasi
 murus à dextris & à sinistris , ut securus transitus
 fiat !

O ineffabilis virtus imperantis aquis & vento ,

& flumina vertentis in siccum ! in te omnis spes
& fiducia *transitus* mei.

Præterit mundus, subvertitur gloria ejus, transit
figura mundi hujus vani & fallacis : ah, Domine !
fac me nihil cum mundo commune habere , ne
cum ipso præteream :

Sed tecum sit *transitus* meus , tecum *transire*
desiderem , nec ad *transitum* pertimescam.

De exilio ad patriam , de morte ad vitam , de
miseria ad felicitatem , de eremo invia & inaquosa
ad loca laete & melle manantia *transire* est , &
anima mea ! & Dominus Jesus , Josue verus , non
ut putabatur filius Joseph , sed verè Filius Dei ,
Salvator tuus , ipse est dux & introductor tuus.

Ipse introducit te in veram requiem , pacem per-
fectam , cœlestem mansionem : cum ipso *transire*
libeat de hoc mundo ad Patrem : cum ipso quoti-
diè stude mori huic seculo , ut cum ipso vivere
possis in futuro.

4. Nec taedeat te , ô anima mea ! si prolongetur
peregrinatio in terra maledicta & misera , cum
manna orationis nunquam sit defectum , & quo-
tidiè pretiosius manna , panis sanctus in sacramento ,
deficienti in via subministretur ad spiritus sustenta-
tionem & vitae.

Errantes in solitudine , in inaquoso , reducat
Pastor bonus , & viam civitatis habitaculi demons-
trabit :

Esurientes & sitiens animas inanes de necessitatibus earum eripiet, & satiabit bonis:

In cœlesti viatico confortatas, lætantes deducet in portum voluntatis earum.

Et post felicem *transitum*, quandò dederit dilectis suis somnum, & ad hæreditatem Domini & civitatem sanctam pervenerint, tunc fidelis in omnibus verbis suis, ipse Dominus præcinget se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit servis suis, & super omnia bona sua constituet eos.

5. O dic ergo assiduè, anima mea, plena spe in altitudine divitiarum misericordiæ Domini: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! quis dabit mihi pennas, & volabo, & requiescam? quandò ascendam ad populum accinctum nostrum? quandò liberabor de corpore mortis hujus, ad videndam claritatem Jerusalem?

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cuius ut ædificantur muri, cui ut velut lapides vivi mereamur coædificari, quotidiè oramus & ingemiscimus; in qua civium omnium voluntas una est, & cuius participatio in id ipsum.

O quandò dabitur intrare portas tuas, invisere templum, quod non est aliud quam Deus & Agnus, videre claritatem Dei illuminantem te, lucernam tuam quæ est idem Agnus immaculatus, & sedem Dei & Agni regnantis in secula!

O Domine Jesu! suscipe sitientem; & qui dignatus es dicere, Qui sitit, veniat, & accipiat aquam vitæ gratis, ne deneges hanc aquam, ut non amplius de terreno puto mihi haurire contingat; sed in magnificentia charitatis tuæ, aqua tua fiat in me fons aquæ salientis in æternam vitam. Amen.

CAPUT XII.

Felix dies *transitus* animæ ad Deum
conversæ, quotannis celebrandus.

Vox Discipuli.

1. O MIRA dignatio Dei factoris erga facturam suam! ex rapina & prævaricatione voluit sicut Deus fieri primus homo: & sic lapsum miserans, ut homo verè Filius Dei nominetur, & fiat, voluit Dei Filius homo fieri: factus est ex muliere: factus est sub lege.

Dixit Moysi pavens & perterritus populus Israel ad aspectum Dei loquentis de medio ignis: Ignem hunc maximum non videbo, ne moriar: terribilem hanc vocem Domini non audiam ultrà: & ecce Dominus Deus in immensa misericordia obsecundans humanæ infirmitati, fuscitavit ei de medio fratrum suorum Prophetam similem ipsi, Jesum

Prophetam à Nazareth, ut aiebant, in quo non tantum posuit verba sua in ore ejus, sed qui est Verbum ejus, figura & substantiæ ejus imago, caro factum, habitans inter nos, & pro similitudine per omnia compar nobis absque peccato.

Considera, anima mea, & expavesce talia sacramenta dilectionis: en Domini Dei mei cœlum est & cœlum cœli, terra & omnia quæ in ea sunt; & tamen ad me parvulum, miserum, & mendicum descendere dignatus est.

Imò & in sacramento novi foederis mihi pauperi conglutinatus est Dominus, & usque eò dilexit me, ut intra septa cordis & corporis mei venire dignatus sit, ad sanctam mensam cum filiis admittens me, sicut hodiè comprobatur.

Vox Magistri vitæ spiritualis.

2. VERÈ non est alia natio tam grandis, nec alia gens tam inclita, quæ habeat Deum appropinquantem sibi, sicut christiana gens:

Cui, sub magisterio Christi, lux adest Deus, usque ad seculi consummationem: quam reficit cœlestis & diuinus cibus, corpus & sanguis Domini:

Quam replet Spiritus sanctus habitans in ea, & in templum Dei transmutans & consecrans corpus & animam cujusque sanctorum Discipulorum, per charitatis & dilectionis infusionem, & ineffabilem Christi commorationem:

Custodi te ergo , custodi animam tuam sollicitè , omni custodiâ serva cor tuum , ut ibi audias Christum docentem , & spiritum illuminantem jugiter inspicere queas :

Nec enim à longè , ut olim , nec procul à radice montis ardantis usque ad cœlum , in quo sint tenebræ , & nubes , & caligo , verbum suscipitur ; nec jam loquitur Dominus de medio ignis formam non ostendens .

Sed nobis loquens in filio , factus in similitudinem nostram filios Adami humana voce revocat , nec peccatrices animas admittere dignatur ad sanctos pedes suos , ut audientes compungantur & reviviscant .

Para ergo Domino hospitium sanctum , hospitium purum : circumcide præputium cordis , lava in lacrymis maculas peccatorum tuorum .

3. Cervicem quam tandiu indurasti , sancto Domini jugo subde corde pleno & animo volenti , & omnibus dimissis , sequere Sponsum , tam clementer post adeò longas & criminosas fornicationes tuas suscipientem te .

Dilige multum , ut dimittantur tibi peccata multa : pone illa verba Domini tui altè & profundè in corde tuo , spei tuæ fundamenta : Fornicata es cum amatoribus plurimis ; verumtamen revertere , & ego suscipiam te ; dilexi te , & attraxi te miserans .

Pone mirabilem miserationem hanc, & eximiam dilectionem in animo tuo: colloca inter oculos tuos, scribe super postes & januas verba tantæ dilectionis: meditare in eis, quandò federis in domo tua, quandò ambulaveris in via, quandò accubueris, atque surrexeris.

Vox Discipuli pœnitentis & orantis.

4. O Domine! parce animæ peccatrici insuper & prævaricatri, quia quod egressum est de labiis meis non observavi, nec feci sicut promisi Domino Deo meo, & propria voluntate & ore meo locutus sum.

Recordor in amaritudine diei illius in qua Dominum elegi, ut esset mihi Deus, ut ambularem in viis ejus, ut custodirem mandata ejus atque judicia, ut obedirem ejus imperio ex toto corde meo & ex tota anima mea; in qua Deus dignatus fuerat eligere me, ut essem ei peculiariter addic-tus, ut annumeratus inter eos qui Agnum sequuntur, sanctus forem Domino Deo meo: recordor quia foederis illius sancti oblitus sum miser, usque ad impietatem & conculationem.

Peccavi, & ut dignus eram non recepi: dereliqui te fontem vivum, ut biberem aquas Ægypti turbidas.

Viam reliqui veritatis, quam elegeram gradiens ad patriam sanctam, & retrò respiciens, per viam

latam recessi , per viam de qua dixeras mihi ut
eam amplius non viderem.

Irritum feci sanctum fœdus quod pepigi tecum ,
fœdus quod cum homuncione vili non despicerat
dignatio infinitæ charitatis tuæ.

Sed tu , Domine , parce , & ne irascatur furor
tuus contra me : ne abscondas faciem tuam à me ,
ne sim in devorationem circumventibus hostibus
meis rugientibus & paratis ad escam.

Miserere mei , qui tam pronus fui ad deserendam
viam quam demonstraveras mihi , tam promptus
in defiendo à proposito sancto :

Qui tam duræ cervicis fui , qui tam sæpè ad-
versus Dominum meum contendere ausus sum ,
& ad iracundiam provocare te :

Qui contempsi imperium Domini Dei mei :
qui nec credidi tibi , nec vocem tuam audire vo-
lui , semper rebellis à die qua dedisti mihi cognos-
cere te .

Ne deleas , ne disperdas peccatorem , qui ve-
nisti peccatores vocare ad te .

Ne aspicias duritiam cordis mei , & impietatem
atque peccatum : quem eduxisti in brachio tuo
forti , & redemisti in magnitudine tua de servitute
peccati & mundi , deduc & assiduè protege in
horrore vastæ solitudinis , & in eadem manu va-
lida introduc in terram quam pollicitus es etiam
peccatoribus toto corde revertentibus ad te .

5. Memorabor, Domine, memorabor, quādiū vivero, diei egressionis meæ ex Ægypto: omnibus diebus vitæ meæ confitebor liberatori meo:

Et verum phase celebrabo Redemptori meo, qui eduxit me in sanguine suo de portis mortis & inferni, & solvit compedes meos.

aud Memor ero diei hujus, in qua egressus sum de domo servitutis, de domo ferrea, in manu fortis educente me Domino:

Celebrabo hunc morem sacrorum in annua gratiarum actione, præscriptis diebus jejunans, & ultimâ die sanctorum mysteriorum particeps factus, miserante & adjuvante Domino, diem festum natalitii Sancti Joannis Baptistæ peragam in spirituali lætitia:

Et hæc pia jejunii observatio & gratiarum actionis erit quasi signum in manu mea, & quasi monumentum ante oculos meos, ut laus & gratiarum actio pro tanto beneficio semper sit in ore meo, tantæque miserationis dilecta memoria nunquam frigescat in corde; custodiamque hujusmodi cultum, statuto tempore, à diebus in dies.

Septem diebus comedam afflictionis panem, sicut quotannis Israel per septem dies azymis panibus nutriebatur:

Et, si fieri potest, majori & intimiori cordis jubilo, quam populus ille mirè redemptus, & in

pavore olim egressus de Ægypto , gratias agam , tam stupendæ , tam immensæ liberationis meæ memoriam renovans , & lætitiae lacrymas fundens , libenti & beneplacito jejuno jungam orationis & gratiarum actionis incensum .

Confitebor & dicam : Ubiquè veritatem , ubiquè felicitatem quæsivi ; veritatem quæ verè beat , beatitudinem quæ non fallit :

Nullibi reperi , quousque stellæ ductu transierim in campos sylvæ , sylvæ clausæ : ibi unam hanc quam petebam à Domino , unam quam requirebam introspexi :

Ibi demùm inveni thesaurum absconditum illum pro quo tandiù frustrà insudaveram , solam inæstimabilem & verè pretiosam margaritam .

6. O Domine , illuminator sancte meus ! fac ut quod supereft vadam , & vendam , si oporteat , omnia quæ habeo , & emam agrum illum : nanciscar unam illam gemmam , omnis inopiae finem , omnis fascinationis remedium , omnium scientiarum apicem , omnium divitarum fastigium : hæc omnia habeo in sancto evangelio regni tui .

O fac , Domine , ut quemadmodùm olim populus tuus pertransivit erenum terribilem & maximum per quadraginta annos , te illuminante in nocte in columna ignis , & die in columna nubis , ita sit semper , te illuminante & protegente , transitus meus !

O qui fuisti ductor ejus in prodigiis & portentis;
 & ipsum portasti , ut solet homo gestare parvulum
 filium suum , in omni via per quam ambulavit !
 duc , & sustine , & porta filium illum juniores ,
 tandem de regione longinqua reversum ad te , &
 confugientem sub alis tuis , quem errantem reduxit
 & portavit ad ovile pastor ille bonus quem in
 mundum misisti , Dominus noster Jesus Christus
 Filius tuus.

Sicut nosti iter populi olim tui per quadraginta
 annos cum ipso habitans , sic habita in medio mei:

Et sicut nihil illi defuit , te providente & prote-
 gente , sic nihil mihi peregrinanti unquam desit ,
 nec manna quotidianum Verbi sancti tui , nec
 manna Verbi carnis facti , quod in excessu pietatis
 & charitatis , insuper fieri voluit cibus & potus
 animarum nostrarum.

Hoc manna refecto , da mihi , Domine , tales
 habere mentem , ut verè timeam te , ut verè di-
 ligam te , & ferventer custodiam universa mandata
 tua in omni tempore. Amen.



C A P U T X I I I .

In permeando deserto Christus in Sacramento
eadem , sed potiora bona , quām olim
Israelitis collata fuere , providet suis.

Vox Discipuli.

1. B E N E D I C T U S sis , Domine Deus , qui docuisti
me à juventute mea , qui à sancta doctrina aposto-
tantem & errantem sustinuisti & expectasti , qui
configens spinā salutari revocasti , & chamo morbi
lethalis , & freno timoris gehennalis constrixisti .

O Domine Deus ! ad sextam vel nonam horam
revocatum , usque in senectam & senium ne dere-
linquas :

Donec annunciem generationi omni quæ ven-
tura est brachium tuum , potentiam tuam , & mi-
sericordiam tuam usque in altissima .

Tribulationes multas & malas ostendisti mihi ,
sed & in hoc benedictus sis , quia sic abtulisti ca-
licem venenosum incantatricis voluptatis , & con-
versus vivificasti me , & de abyssis mundi reprobi
iterūm reduxisti me .

Vox Domini.

2. F I L I , sic semper humiliter confitere , & gra-

tias age: cave ne intumescaſ, aut elatior intra teſias poſt luctam & pugnam: tribulatione vel tentatione devictâ, totum mihi retribue per quem vicisti.

Ego enim ſum qui affixi & probavi te, & ad extreſum misertus ſum tui.

Ne dicas ergo in corde tuo: Fortitudo mea hæc, vires & robur manūs meæ hæc mihi præſtiterunt.

Sed recordare Domini tui, qui adjuvare dignatus eſt ſervum ſuum, ut adimpleret paſtum ſuum, nec deficeret à proposito sancto.

Et ex hoc magis ac magis conforſtare, fili: eſto robustus, ut cuſtodias & facias omnem legem meam; non enim auditores quæro, ſed factores.

Ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſinifram: non dimittam nec derelinquam te: meditare, ut intelligas cuncta quæ agis; nec recedat volumen ſanctum evangelii mei ab ore & corde tuo.

Meditare in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: noli timere, noli metuere: ipſe ego dirigam viam tuam, & tecum erit Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeſis.

3. Verūm ſcito quia, ſicut ſeptem hostiles po- puli indiſti ſunt Israelitis per vim armorum ſubigendi, ita & ſeptem tibi vitia exterminanda præcipiuntur, per continua bella, & luctam indeſicientem & quotidianaſ.

Et sicut Israelitis , ita & in pugna tua dicitur tibi : Confige statuas , aras comminue ; omnia excelsa subverte.

Scito quia , sicut olim Israelitæ viam terræ patribus promissæ carpentes , relictâ Ægypto , & de jugo Pharaonis soluti , variis modis & locis tentati sunt , sic & qui relinquunt mundum , seu corpore & spiritu , seu corde & mente solummodo , juxta quod necesse est vero Christi Discipulo , varias , pro variis vitæ statibus & circumstantiis , experiuntur tentationes & probationes .

Sicut in illa , ita & in ista via sœpè exhaustur spiritus , aquarum penuriâ : at illa mentis ariditas , firmâ fide & humili submissione portanda , perseveranti oratione , & indeficiente spe vincenda , quia mox , & horâ quâ voluero , emittam verbum meum , & glacies liquefaciam , flabit spiritus meus , & fluent aquæ :

Ibi & ipsum quotidianum manna , ex assiduitate in nauseam traducere conabitur spiritus malus ; sed contra tepiditatis pestem hanc pessimam , præbebo sanctæ dilectionis condimentum , quo sanentur inconstantia mentis & infirmitas cordis :

Et sanato affectu , omnis sapor , omne delectamentum in quotidiana alimonia verbi Dei , in orationis prolixioris constantia invenietur ; nec tædebit , vel uniformis perseverantiae , vel perennis circuli in humili conversatione & tenebris

sepultus, & mundo mortuus, vita vives dulciori & meliori super vitam lœtantium in palatiis, & super gaudia omnia peccatorum.

4. Si quandoque aquæ invenientur amaræ, sicut olim in deserto, per ligni mirifici immissionem dulcorabuntur: tribulationum omnium amaritudinem per efficaciam ligni crucis meæ auferam, & in dulcedinem transmutabo.

Si sibilo suo terreant serpentes flatu adurentes, concupiscentiæ scilicet illius quotidiè renascentes stimuli pungant, qui senes & juvenes, novitios & perfectos, incipientes & consummatos, imò & ipsos ad cœlum raptos homines ad malum pelliunt:

Veneno huic mortifero & promptissimo, idem vitæ tutandæ efficax antidotum præsentissimum præbeo, quod olim in figura fuit Hebræis præmonstratum, aspectum certæ salutis, aspectum Salvatoris in cruce pendentis:

Respicias peccatis alienis indutum in forma peccatoris sacrilegi & maledicti, pro abjectionis cumulo, velut serpentem & tanquam serpentis antiqui ministrum infandum in cruce elevatum; & frigescens ignita jacula carnis & diaboli, & insidiantem calcaneo calcabis & vinces.

Respicias me igne charitatis mundissimo in aræ crucis torridum, & ex una scintillula ignis sancti, extinguentur fœdi ignes omnes immundi spiritus:

absconditæ vitæ & conseptæ; ibique mecum ex uno iictu oculi comminuetur & evanescet paratum à carne totius cordis incendium.

5. Sed vœ quibus in recordatione carnium & piscium, & cucumerum & peponum in mundæ Ægypti, manna cœlestè jam aridi saporis factum apparet!

Vœ qui contemnunt escam quam dedit Dominus timentibus se! quia si populus cuius adhuc in dentibus erant carnes terrenæ portentosè concessæ, cum tanta severitate olim percussus est, quid supplicii & ultiōnis nunc paratur & coacervatur spernentibus vel non discernentibus panem cœli, pabulum Sanctorum, cibum justorum.

Vœ etiam, qui in hac via dolens præ labore, murmurationis motibus tradit cor suum! Metuat qui sic lassescit, ne mox persentiat iram Domini; & in memoriam revocet quia sic accensus olim ignis Domini, devoravit partem castrorum Israel.

Demum memento, fili mi, & semper memento quia non qui currere cœpit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: non qui dicit, Domine, Domine, sed qui facit voluntatem meam; hic intrabit in regnum: non qui egressi sunt ex Ægypto, & mare transierunt, sed qui permaneserunt fideles (Josue & Caleb), in terram promissionis tandem ingredi meruerunt; & quia sicut in veteri Israele, ita & in novo multi sunt vocati, pauci verò electi,

CAPUT XIV.

Donorum, virtutum, meritorum Sanctissimæ
Virginis oblatio , in gratiarum actionem
pro Sacramenti Eucharistiæ perceptione.

Vox Discipuli.

1. **S**i Præcursoris Mater intuens venientem ad se Virginem Matrem , exclamavit in stupore & admiratione , *Unde hoc mihi ut veniat ad me Mater Domini mei ?* quid exclamare potero , ipsum sanctæ Matris sanctificatorem & factorem , Dominum meum intuens oculis fidei recumbentem in præcordiis meis , in sacramenti sancti perceptione mirabili ?

Exclamabo & ego exultans in ipso , quod vilitatem & paupertatem habitaculi mei non declinaverit ; sed respexerit parvulum , & humilem , & trementem sermones ejus :

Exclamabit anima mea ad pedes ejus humiliter prostrata , & ipsis adhærens : Unde hoc mihi ut invenerim gratiam ante oculos tuos , & nosse me dignatus sis peregrinam & alienigenam ? unde hoc ut tam suaviter consolari & loqui volueris ad me , quæ non sum similis unius animarum sanctorum ?

Moabitis infelix ego sum, in peccatis & sub maledicto nata, ab Ecclesia sancta Dei in aeternum arcenda: si non de gente illa quae dure recusavit occurrere in pane & aqua, benedicto populo de Aegypto egredienti, at diu nimis de reprobo & scelesto illo mundo, de filiis Belial qui maledictum parare per Balaam, & ex consilio ejus scandalum ponere, & bellum facere cum Sanctis & electis Dei ausus sum.

2. Hoc sat erat mihi, & jam nimis, ut ad quem veneram, & sub cuius alas confugeram, relinquens terram reprobam in qua natus eram, Dominus meus non rejiceret miserum & mendicum, sed adjiceret ad servos servorum suorum.

Quid igitur illi potero gratiarum referre, qui non solùm mihi, velut fidi servo, panem subministrare dignatus est, verum & ex adipe frumenti adjecit cibare me, velut carissimum filium?

Verè non est in me undè queam attingere altissimam munificentiam tuam, præexcelsam miserationem, summam beneficentiam; nec intra limites hominis est, pietatis & charitatis tuæ abyssum dignè collaudare, sicut nec comprehendere.

Liceat ergo in paupertate mea, advocate in laudem & gratiarum actionem, ô Domine Jesu! quidquid apud homines complacuit tibi, digniusque inventum est oculis tuis & purius, thesaurosque alienos, sed per misericordiam tuam factos

jam nostros , tibi in hodiernum holocaustum offerre :

Liceat gratissimis illis & omni acceptione dignis
Mariæ Virginis manibus , ejusdem sanctissimæ
Virginis merita præsentare :

Per quam voluisti gratiam infundere super miseros filios Evæ peccataricis , per hanc veram Matrem viventium gratiam refundere liceat :

Eodem alveo , ad largitorem gratiæ de terra nostra , gratiæ redeant in cœlum , quo influxit gratia de cœlis apud nos .

3. O Virgo beata , quæ jam plena fuisti gratiâ , quando Spiritus sanctus supervenit in te ! superabundantem & supereffluentem novam illam plenitudem gratiæ tibi collatam in obumbratione Altissimi , ipsam pro me misero offerre digneris Domino meo , adjuvans inopiam meam .

O felix mulier , quæ jam non exploratores Jericho , sed hæredem universorum in castellum mundi hujus intrantem , & fortiorum supervenientem velociter spolia detracturum , & gentes hæreditaturum suscipere meruisti :

Quæ non legatos Jesu Filii nave , sed ipsum verum Jesum Filium Dei in tabernaculo tuo exceptum abscondisti :

Quæ domum exhibuisti ad fuscipiendum Salvatorem , non solum omni tempore mundam , & gemmis & scopis virtutum omnium ornatam , sed

& plenam & confertam gratiâ, jamque eleætam & habitatam à Domino !

Doce servum tuum Christo Jesu habitaculum sanctum & purum exhibere in corde nunquam vacante, Domino meo, qui absconditè sic apud me hospitari dignatur sub velo Sacramenti, intimo affectu uniri ad ipsum, ipsiusque interius dulcissimum regnum totâ voluntate converti, & in humili, & servente, & perenni gratiarum actione singulis diebus perseverare.

4. O quæ facta es in terris arca testamenti & sœleris novi, habitaculum Dei, sacrarium Spiritûs sancti ! dignas repende pro me gratias quæm, etsi indignum, tam beatæ visitationis & sanctæ commorationis participem facere dignatus est Dominus & Deus meus.

O quæ verè sedisti in terris sub umbra ejus quem desideraveras, cui te totam corpore & spiritu integrum consecraveras, in sancto virginitatis proposito primiceria, & quæ nunc assumpta in gloria sedes in splendore Sanctorum ! prorumpe pro me in vocem gratiarum actionis & laudis apud verum Christum Dominum, in cuius umbra adhuc vivimus dispersi in gentibus, per gratiam sacramenti sancti sui.

O Virgo sancta, flos generis nostri, totumque non modò humanum genus præzellens, sed & Angelis tantò excellentior facta munere singulari,

quantò differentius præ Ministris nomen sanctum Matris hæreditasti! offer & virginitatem illam quæ sola digna fuit tam sancta sœcunditate, & maternitatem quæ sacravit tam sanctam virginitatem.

Angeli Ministri Dei, ante conspectum ejus offerunt & ministrant de alieno sudores, & labores, & lacrymas, & vota nostra: tu de proprio melius aliquid absque mensura, fructum dulcissimum & suavissimum terræ nostræ, Dominum Jesum Filium tuum digneris offerre pro me.

Ne deneges ministerium charitatis assumere pro misero peccatore, pia Mater ejus qui venit, non ministrari, sed ministrare, pia nutrix & educatrix illius qui, licet Minister sublimior cunctis, humilior tamen universis, semetipsum tradidit in sacrificium laudis, Patri offerens animam suam, & qui mihi parvulo & egenti usque hodiè ministrat carnem sanctam suam.

5. O Virgo infelici concupiscentiae inquinamento in prima formatione feliciter subrepta, à peccati primi transfusione specialiter præservata, ad conterendum antiqui serpentis caput electa, & à principio mundi prænunciata! ô quæ possedisti Dominum Deum Verbum carnem factum initio viarum suarum in quibus habitavit in nobis, & quam possedit Dominus Deus Spiritus sanctificator ab initio vitæ; quam præelegit & præordinavit Dominus Deus Filius, sapientia Dei, in templum suum;

quam præscivit & prædestinavit Dominus Deus Pater in Matrem Filii sui, præscivit & prædestinavit inter natos & natas mulierum, actu & affectu conformiorem fieri nato suo, in medio temporum facto ex ipsa, facto sub lege, & omni gratiarum dote creando præoccupavit!

Pro me intercede apud Dominum & Deum meum, ut totum me vel ex nunc præoccupare dignetur, intellectum dirigat, memoriam purifiet & illuminet, voluntatem mundet & accendat, trinamque & unam hanc imaginem & similitudinem suī, opus suum, quod tam sublimi typo assimilare dignatus est, per gratiam sanctificantem in æternum vindicet sibi.

O quæ hanc invenisti ineffabilem gratiam apud Deum, proxima & intima Deo facta, ut maneret in te, in quo manebas & eras, requiesceret in tabernaculo tuo, qui creaverat te, vestires illum substantiā carnis, qui te pelle & corpore vestierat, ossibus & nervis compegerat, & vestit nunc te gloriā suæ majestatis!

Deprecare pro me, ut per sacramenti sancti perceptionem, juxta verba sancta sua, quæ non præteribunt, maneat in me Dominus Jesus, & maneam indesinenter in eo: proferri jubeat Pater ille misericordissimus pro Filio mortuo & redivivo stolam primam, & vestiat me duplicibus.

6. O mulier inter omnes benedicta, in qua no-

vum fecit Dominus super terram , ut incognitus
viro , Deo soli cognita , & ex voto consecrata;
circumdares virum , circumdares intra beata vis-
cera tua Christum Deum circumdantem te , tuo
sancto gremio conferres conferentem te , portares
a quo portabaris , aleres alentem te !

Deprecare pro me ut qui dignatus est sub mi-
serissimi servi sui tectum intrare , ipse circumdet
protegente gratia suâ , domum factam hospitium
suum ; nisi enim ille custodierit , frustra vigilabit
qui custodit eam : ipse diruta reædificet , destrœta
restauret , restaurata in vitam æternam custodiat :
ipse dignetur fragilitati meæ parcere : nunquam
præ miseria & inconstantia mea lassescens , desinat
in sinu misericordiae suæ portare me , velut aquila
portat pullos suos sub alas : ipse cibare me nun-
quam cesseret pane vitæ & intellectus , in via deserti
horribilis , & peregrinatione longa & periculosa .

7. O gratia inventrix , salutis mediatrix , restau-
trix seculorum , Angelis reverenda , desiderata
gentibus , patribus cœlitus repromissa , Patriarchis ,
præmonstrata , mysticis præfigurata miraculis , ora-
culis prænunciata propheticis , electa ex omnibus ,
cunctis prælata , quæ tanto amicta lumine velut
vestimento , solum Deum magnificasti magnifi-
cantem te !

O quæ humilis ancillæ nomen præoccupans ,
elegisti abjecta esse in domo Dei , ipsa facta domus

Dei & porta cœli : pro nihilo reputari in terra , cui Salvatorem peperisti : apud homines nesciri , qui in lumine tuo neverunt scire se , quibus divinum lumen attulisti , ad revelationem gentium omnium , & gloriam plebis tuæ !

Postula pro me ut verè incipiam in totum vivere propter eum , qui semetipsum dedit redemptionem pro me , semetipso cibavit me ; plenè discam ab eo corde humilis esse ; humilitati & contriti Domini mei vestigia sequi ; humilem & obscuram , & ignotam , & mundo mortuam , & crucifixam vitam degere , vitæ illi tuæ conformem , & Sponsi sancti tui , virginis , Virginisque Sponsi , longè à mundo , in labore & rusticatione , in vilioribus & asperioribus locis residens conseptus cum Christo .

8. O puella verè præelecta , & præparata Domino meo , secundū carnem Abrahæ filio benedicto , in quo cunctæ gentes benedictæ sunt ! desupereffluenti hydria tua , cœlestis gratiæ potu adeò refice animam meam , ut sanctificetur & corpus cum sensibus suis : refice sitientem in Domino animam meam quam multipliciter ipsi & carnem meam : puerο Abrahæ potum tribue & camelis ejus : ciba filios ad mensam Regis constituti super montem Sion : simul & catelli de micis edant , quæ cadunt subter eam .

O fons abundantissime , de quo acceperunt uni-

versi ; captivi remissionem , ægri curationem ,
mœsti consolationem , peccatores veniam , justi
gratiam , Angeli lætitiam , tota Trinitas gloriam ,
Filii persona carnis humanæ substantiam !

De superabundanti omnium virtutum thesauro
apud te constituto , effunde super inopiam &
misericordiam meam , ut non sit qui se abscondat à ca-
lore tuo , ab ardore charitatis , à radiis solis hujus
quo fuisti amicta .

O quæ in virgineo corporis templo , obumbrante
virtute Dei , suscepisti & possedisti eum , qui ignis
consumens est , rubus ardens & incombustus novæ
legis !

De igne illo scintillulam mittere digneris , quæ
crescere queat in incendium omnium terrenorum
affectionum meorum , desideriorum mundanorum ,
vanarum cogitationum , imò & non spontanea-
rum imaginationum , tam sæpè in mentis vestibulo
importuno latratu miserè conturbantium mentem
intimam meam , & avertentium ab interiori ora-
tione & placida vacatōne , dum sedens anima mea
secus pedes Jesu audivit in jubilo verbum ejus ,
oblita sui per brevia & fortunata momenta , om-
nique exuta negotio .

9. O unica formosa , & absque macula inter
filias Jerusalem , cuius ex sinu immensa proditura
sanctitas , sanctum fecit ortum , præmunivit con-
ceptum , vitam omnem ab omni peccato custodivit
immunem !

Deprecare hunc quem peperisti peccati & mortis peremptorem, ut per lavacra multiplicis regenerationis quæ paravit in sanguine suo, mundet me, amplius & amplius lavet me in iniuitatibus conceptum, damnatum prius quam natum, in peccatis nutritum, ab infantia in malum pronum, & per totam vitam omni peccatorum labe contaminatum.

O quæ omni cumulata fuisti cœlestium munerum plenitudine, in generatione singulariter præmunita, ex utero Deo dicata, ex habitatione Domini Deo sancta ante angelicam salutationem, sanctior in Spiritu sancti superventione, sanctissima in Filii Dei inenarrabili conceptione !

Deprecare pro me, ut & ego veræ sanctitatis vestigia secessans, magis ac magis sanctificer, sanctoque cibo refectus, quæ retrò sunt obliviscens, ad anteriora extendens meipsum, ad destinatum persequar, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

10. O virginitatis primiceria simul & decus maternitatis : benedicta in mulieribus : benedicta in virginibus : mater ex virginitate, virgo ex sacra maternitate gloriosior : absque ulla læsione pudoris fecunda : beata quia credidisti : in qua perfecta sunt quæ dicta sunt tibi à Domino : præ puritate quæsita, præ humilitate electa, fide mater effecta, mater absque gravamine Verbum

infans in sancto gremio portans, absque dolore
& immunditia pariens !

Deprecare apud Altissimum, cuius throno assis-
tis, pro servulo tuo, ut de misericordiae thesauris &
gratiæ, de fontibus Salvatoris hauriam in gaudio,
mentis, cordis & carnis puritatem continuam;
in actu, verbo & affectu humilitatem perfectam;
in sancta fide firmitatem, & magnanimitatem, &
operationem indefessam.

O quæ in silentio audivisti, & mira verba Pas-
torum ad præsepium Infantem Salvatorem pannis
involutum angelico monitu quæritantium, &
verba Magorum stellâ duce in domo paupercula
adorantium & confitentium Regem gentes hæ-
reditaturum, & Simeonis sermones satidicos de
Filio & de teipsa, ipsum dominicæ incarnationis
sacramentum semper humiliter silens, sed assidue
colligens & conservans omnia verba quæ dice-
bantur de Jesu, & conservens in corde tuo !

Deprecare pro me, qui plenus rimarum semper
effluo undique, qui tam sæpè totum profero spi-
ritum, ut ad sanctum exemplum tuum semper sim
velox ad audiendum, tardus verò ad loquendum.

ii. O quæ mysteriorum omnium absconditæ
vitæ Jesu particeps fuisti : quæ fugientem in
Ægyptum à facie tyranni quærentis animam pueri,
cum casto Sponso portasti iisdem cœlestibus ini-
tiato mysteriis : quæ ipsum reduxisti & abscondisti

in Nazareth, & à pueritia sibi subditum experta es
Filiū dulcissimum, cui toto corde subdebas te:

Quæ in abscondito possedisti per annos triginta
Dei Filium unigenitum, cujus vultus Angelis de-
siderabilis quotidiè illuminabat & beabat te, dum
cunctis præter te & sponsum tuum Sanctum Jo-
seph, erat quasi absconditus & despectus, undè
nec fuit reputatus:

Quæ fabrilia opera exercenti, aratra & juga
confidenti cooperata es in labore & sudore cum
Sancta Joseph:

Quæ per illud tam altum, tam longum silentium
Verbi, quod non erat reversurum vacuum, diutius
feliciusque sedens quam altera illa Maria Lazari
foror secus pedes Jesu, fructumque gutturi tuo
suavissimum carpens, dum audires verba sapientiae
& gratiae quæ procedebant de ore sancto ejus, in
secreto domunculae Joseph, tam saepè vacasti &
vidisti quam suavis erat Dominus!

Deprecare pro me Dominum Jesum ut in aspera
& ignota solitudine procul à vanitate & otiositate
mundi, vitae ejus absconditæ merear consociari
mysteriis, mundo mortuus, & cum Christo feliciter
consepultus.

12. Deprecare ut sic longum & laboriosum pœnitentiæ baptismum aggredienti non deneget, etsi
indignissimo, imponere jugum sanctum suum mihi
quâcumque coronâ lucidius, omni carneâ & mun-

dānā libertate jucundius & felicius, quolibet terrenorum honorum signaculo honoratus, omni terrestrium divitiarum & opum beatitudine carius & fortunatus.

Det in abscondito ipsum absconditum die nocti que solum diligere, solum querere, solum meditari; secus pedes suos ubi latitat in sacramento sedere assiduè; absconditam vitam sectari; toto corde adhærere latitanti in Nazareth, & sub specie fabri Dei Filii majestatem obtegenti; latitanti in Eucharistia, & sub signis & speciebus divinitatem simul & humanitatem suam obnubilanti; absconditè manenti nobiscum, absconditè convescenti, perfectâ dilectione uniri in clauso cubiculo cordis contriti, spiritûs contribulati sacrificium quotidianum offerre in abscondito mentis; abscondito Sponso animarum nostrarum, perenni amatori laboriosæ, humilis & absconditæ vitæ conglutinari, ibique, secundùm divitias hujus absconditæ vitæ, formari & corroborari per Spiritum sanctum ejus in interiore hominem. Amen.



CAPUT XV.

Ad celebrationem diei in quo beatissimæ
Virginis animam doloris gladius pertran-
sivit.

I. VADAM ad montem mirrhæ, ad montem
ubi potatus est in siti sua dilectus meus acetō &
vino mirrhato cum felle mixto:

Vadam, & solâ amaritudine amarissimæ pas-
sionis ejus & mortis pascar, & satiabor lacrymis
& mœrore.

Hæc requies mea mons sanctus ille respersus
fanguine Domini mei: hic habitabo assiduè, quo-
niam elegi eum: adorabo prostratus & gemens ubi
steterunt pedes ejus, ubi clavis perforati sunt cum
manibus sanctis ejus, & cruci dirè affixi.

Deducam quasi torrentem lacrymas; per diem
& noctem non dabo requiem mihi, neque tacebit
pupilla oculi mei.

Consurgam in nocte: in principio vigiliarum
effundam sicut aquam cor meum ante conspectum
Salvatoris mei, levabo ad eum manus meas.

Valedicam tabernaculo domūs meæ & lepto-
strati mei, nec dabo somnum oculis meis, nec
quærar palpebris meis dormitionem, nec re-

quietem aliam , vel alibi temporibus istis inquiram.

Ascendam lugens & flens montem sanctum
soederis novi , ubi inspiciam , & videbo , & do-
cebor facere secundum exemplar quod ibi mihi
monstratum est.

Ibi miserum peccatorem tabernaculum suum
figere par est , non in monte illo excelso valde ,
ubi deliciis affluunt animae sanctae supra modum
in sublimitate & jucunditate contemplationis.

2. Accedam ad crucem , & in cruce pendentem ,
favente quae propior suit cruci & crucifixo sancta
Matre , dolore consumptâ :

Accedam , protegente quae stabat juxta crucem
Jesu Matre ejus , ut ait Discipulus quem diligebat
Jesus , qui & ipse ibidem stabat , quasi significans
sanctiorem inter natos & natas mulierum , serven-
tiorem Discipulam crucis suisse & crucifixi , cruci
& crucifixo extitisse propiorem sicut & corporis
accessu ita & cordis excessu ; sicut carnis sanctifi-
catæ instinctu , maternæ compassionis affectu , ita
& supernæ charitatis afflatu.

O pia Mater ! quam dirus fuit gladius qui tuam
ipsius tunc animam pertransivit !

O quam verè experta tunc es , in illo cruento
sacrificio vespertino intra septa mortis constituta ,
mortiferi doloris aculeo transfixa , dum vivendo
commoriebaris , & moriendo vivebas & condo-
lebas , quod in sacrificio matutino prædictum tibi

fuerat intimius illud & sœvius cordis martyrium!

O tu! esto dux mea in via crucis, & revelare digneris tuæ tunc crucis & transfixionis amaritudinem.

O si olim in gaudio extiteras mirans super his quæ dicebantur & prædicebantur de carissimo Filio, quæm altè tunc superabundaverunt gaudii sensum & admirationis stupor & mœror, cùm morientem aspexisti natum ex te, & qui vivebat ex te, auctorem vitæ, per quem & cui melius vivebas & tu!

3. Sed & ab initio, cùm secretò corpus & animam tuam dicaveras Domino, crucis expers non fueras, quæ te totam resignaveras inauditæ virgineæ fœcunditatis calumniosæ suspicioni.

Ex tunc cruci addixeras tè, cùm in Deo confidens, Dei mysteria celans in humilitate, virginum honorem & quidquid tibi carius fuit ipsi offerens & teipsam, sponsi justissimi fluctuationem in silentio sustinueras, donec sic tentatus & probatus fidelis ille mysteriorum depositarius, custos virginæ templi electi à Domino, & educator Verbi infantis, per Angelum instrueretur à Domino de Virginis miro conceptu.

Cruci adhæseras, ex quo crucifigendum quondam illum Natum dulcissimum, Agnum mansuetissimum, Infantem amantissimum à vitæ primordiis videras in sua venientem à suis non receptum,

insidias à cunabulis passum , & procul à patria,
procul à gente exulem factum.

Crucis amatrix evaseras ab ipso incarnationis
sanctæ instanti , vitæ Jesu fideliter & perseveranter
inhærens , quæ tota crux fuit & martyrium.

5. Exultaveras ab exordio ad crucis viam sanctam
cum ipso currendam , cum ad verba Magorum ,
turbato Herode , & omni Jerosolimâ , parvulum
& tenellum filium ad sancta ubera tua pendentem
sævissimis abripiens insidiis in Ægyptum confu-
geras.

Laborum , & sudorum , & abjectionum abs-
conditæ vitæ Jesu , comparticeps fueras omni
tempore , quo ante dies ostensionis suæ ad Is-
rael , proficientem ætate , & sapientiâ , & gratiâ
apud Deum & homines , tibi subditum habueras ,
cui parent omnia , & cui toto corde ipsa parebas.

Cruces & ignominias ejus partita jam fueras ,
quando per civitates & castella annuncians reg-
num Dei , dæmonia ejiciens , sanans infirmos ,
leprosos mundans , & mortuos fuscitanis , etsi sic
benefaciendo transiret , insidias , calumnias &
blasphemias sustinuerat in patientia.

Sequens dilectum tuum , & ministrans ei , jam
experta fueras perfidam & perversam nequitiam
Scribarum & Phariseorum , qui Jesu superexcel-
lentem bonitatem sustinuere non valentes , ipsum
aufferre de terra nefariè cogitabant.

5. Restabat ut videres mittentes lignum in panem ejus, ligantes, flagellantes, deturbantes, colaphizantes, crucifigentes, fodientes manus ejus & pedes, dilaniantes, dinumerantes omnia ossa ejus, morte turpissimâ occidentes, & post mortem transfigentes.

6. Restabat ut videres ipsis oculis tuis impletas mensuram patrum suorum, agricolas perfidos ejicientes extra vineam Filium unicum & hæredem; cæcos & duces cæcorum expoliantes & occidentes qui venerat salvum facere populum suum; & sic sperantes sibi gentem salvam fore, sic credentes hæreditatem sibi stabilire.

Restabat ut videres consummationem iniquitatis à gente reproba, consummationem justitiae ab Agno sic portato ad victimam, ut tolleret peccatum mundi, propagaret regnum Dei.

Restabat ut assistens crucis sacrificio, quod obtulit ille Pontifex verus in sanguine proprio, igni in altari sancto sacram victimam absumenti, quocunque Discipulo proprius, ut Matrem decebat, martyrio cordis te totam ministrares.

6. O quoties & quanto cum affectu tunc dixit cor tuum: O Jesu Fili mi, ô Fili mi Jesu! quis mihi det ut ego moriar pro te, Jesu Fili mi, Fili mi Jesu?

O quis novit Matris sanctæ amaritudinem, cùm Jesum dulcissimum Filium, opprobrio plenum,

spinis coronatum , sputis illitum , flagellis attritum ;
crucem sibi bajulantem à longè vidit in montem
præmonstratum ascendentem in medio turbarum
populi imprecantis & blasphemantis !

Sed quis attigit doloris ejus altitudinem , animæ
vividam transfixionem , ictuum à malleis inflictorum
in corde Matris diram repercussionem , quandò
ipsa vidente dilectissimus ille Filius fuit in cruce
elevatus , & ligno durissimis clavis affixus ?

Quonam posset explicari sermone materni cor-
dis à dolore contusio , magna velut mare contritio ,
tristitiae & desolationis abyssus , quandò in oculis
ejus ligno manibus pedibusque confixis , quatuor
à fontibus manaverunt ampla fluenta sanguinis ?

7. Stabat videns hæc , quia fortis est ut mors
dilectio : alioquin quomodo quæ sibi defecerat &
mortua jam extabat , in cruce pendentí Filio vi-
vens compateretur , spiritum emittenti commore-
retur ?

Stabat charitate suffulta , cuius materna virginea
viscera commota fuerant commotione mortiferâ ,
non sibi jam vivens , sed Filio , quem ad ultimam
sacrificii metam secuta fuerat velut emortua , à
mulieribus simul plangentibus sustentata .

Stabat in fortitudine ejus qui plus de ipsa dole-
bat quam de se , qui erat unicus dilectus ejus , &
cui una erat filiali amore dilecta , tota liquefacta
præ doloris angustia : nec piæ Matris erat sensus ,

neque vox, neque sonus; sed ipsi solùm supererat dolor, supererat amor.

Stabat & aspiciebat in silentio silentem Filium & sacrificium suum consummantem, Agnum obmutescensem coram tondente se, Filioque supernæ charitatis vinculo constanter unita Mater vocem non dabat, nec aperiebat os suum.

Stabat & videbat Filium speciosum formâ præ filiis hominum, juxta sermonem propheticum jam absque specie & decore, vultumque Angelis desideratum, iniquorum Judæorum livore foedatum, sanguine & sudore rigatum, & mœrore confectæ, nec vocem, nec clamorem jam lingua valebat invenire: soli supererant fletus & gemitus.

8. Stabat ipsamet immolata præ charitatis & dilectionis ardore ante aram sanctam Dei Filii, Dei & Domini sui offerentis sese pro filiis hominum in tormentis & opprobriis, mortem germenque peccati superbiam, in morte & abjectione conterentis, palamque triumphantis de mundo, & carne, & diabolo.

Stabat mori desiderans, si possibile esset, pro Filio quem ad mortem genuerat, vel quod possibile, saltem cum ipso qui lux ejus erat & vita, ardenter deprecans, ut qui caro erat de carne sua, & sic quodammodo una caro, qui uno amore se diligebant, unâ cruce, unâ morte transfixi vitam exhalarent.

Stabat mortem appetens, cui ultimum unum solamen erat mori cum Filio; siveaque mors frustra quæsiæ, desolatae Matri sola dulcedo relicta ab optante Matre recedebat, quæ Filium oblatum non tollebat, nisi quia ipse volebat.

Stabat omnia perdens, omnia immolans in Jesu crucifixo, consortium amici dulcissimi, consilium Patris & subsidium, Sponsi animæ suæ aspectum suavissimum, Filii benignissimi & visum & colloquium; & jam orbata Patre, viduata Sponso, desolata Filio, frustra vovens se morti quæ pavens coram Filio devincente etiamnum arcebatur à Matre, ultimum attigit abnegationis fastigium, verè tollens crucem à qua tolli se non posse gemebat, verè sequens Filium, verè cruci & Christo confixa, quæ se à Jesu & cruce separari dolebat.

9. O Mater Christianorum verè cruci confixorum, per excessus passionis & mortis Jesu Domini nostri Filii tui, quibus per intimam animæ transfixionem unita fuisti compatiens & commoriens! effunde super servulum tuum guttulam amaritudinis illius quam velut ab aquis exundantibus obruta fuisti, immersa in tristitiae pelago, & cui totam tradidit Jesus animam suam derelinquens Homo Deus hominem sibi:

Concede vel stillam beatæ hujus amaritatis, ut in ipsa æternum amarescant mihi gaudia mundi,

delinimenta peccati; superbiæ fastus, terrenarum voluptatum incentiva, pompæ divitiarum, carnis oblectamenta, blanditiæ seculi.

Per te, ô Domina mea! cordi meo verè compuncto & contrito sola jam placeat amaritudo amoris, solus dulcescat amor amaritudinis:

Per te crucem amplectar, cruci configar, cruce delecter: nihil dulcius cordi meo confixo jam sit quam vivens mori & crucifigi; nihil amarius quam vivere sine cruce:

Per te ante altare sanctum, crucem venerandam in qua immolatus est Dei Filius, tecum stem intuens in patibulo pendentem: inspiciam exemplar à quo tam diu defeci, & in oscula ruens, quæ undæ sanguinis defluunt de pedibus Domini mei, interminabiles effundam gemitus, miscens fluenta lacrymarum.

10. Da capiti meo aquam, & oculis meis fletuum fontem indefessum, ut pedes Domini mei perfluam, & in affluentia lacrymarum caro peccatrix tota resolvi queat in lacrymas:

Da acutissimum gladium qui perfodit animam tuam, & animam transfigere, & sic tibi in cruce perenniter & feliciter consociari:

Da & partem in magnanimitate & fortitudine, quâ desolatione desolata, & dolore attrita, cui non fuit similis, sperasti & credidisti gloriam, & victoriam resurrecti; fidem retinens quâ mater,

virgo manens , facta fueras ; Ecclesiæ fidei depositum servans , dum hæsitabat unusquisque , & quam à Deo semel susceperas , fidei gratiam nunquam amittens :

• Da mihi constanter tecum vivere , sub crucis sanctæ vexillo , sub dulci onere nunquam demitti aut vacillare , in cruce sola tecum gloriari , in ipsa fidem & spem servare , & charitatem perfectam invenire .

11. O quæ propior accessisti ad misericordiæ thronum illum , crucem sanctam , æternæ propitiationis altare :

Quæ sic infirmatum vidisti Salvatorem nostrum , ut infirma nostra tolleret ; sic quasi leprum factum & percussum à Deo & humiliatum , ut tollens lepram nostram , Patri reconciliaret nos mundatos à peccatis nostris in sanguine suo ; sic pelle Esau circumdatum & foedatum , ut paternam benedictionem filijs compararet ; sic ponentem animam suam , ut mors mortis nostræ fieret , suscitans sibi semen longævum !

Loquere ad cor Domini nostri Jesu , loquere , quia audiet Filius tuus : invoca dulce nomen ejus super me , ut per crucem curer & munder à vetusta hac lepra carnis & sanguinis :

Deprecare ut per lignum sanctum exinaniatur virus mortiferum quod de ligno vetito prodiit :

Propinare digneris servulis tuis calicem sanctum

cui

cui benedixit Dominus Jesus Filius tuus, prò poculo
venenoso quod Eva nobis infeliciter propinavit :

Per te fructum benedictum terræ nostræ suscipiam,
cujus sapor & virtus destruat pomi noxialis
infelicem effectum :

Per te felices parvuli tui suscipiant fructum illuminatiæ,
panem de cœlo verum, vinum germinans
virgines, pro succo lethali cuius gustu ebriata est
Eva, & reliquias dimisit infelicibus parvulis suis.

12. O vera mater viventium, fons salutis &
vitæ ! territo mihi ad vocem Dei, paventi ex responso
conscientiæ meæ, & ad folia nuditatem
protegentia fugienti, Jesum Filium tuum mediato-
rem concede & interpone, dum factus præva-
ticator, Deum offensum accedere vereor.

Quem dedisti nobis fratrem, da intercessorem
apud Patrem, à quo exaudietur pro sua reverentia.


Da patronum & advocatum ad patrem quem
habemus in cœlis, qui per te in terris frater noster,
& caro nostra factus est.

Disperge & da pauperibus : escam præbe ti-
mentibus Deum, illum ipsum Jesum qui in abun-
dantia misericordiarum discedens à suis qui erant
in mundo, & usque in finem diligens eos, ipsam
carnem suam convertit in cibum cœlestis vitæ,
sanguinemque suum in potum salutis æternæ.

Per te, quæ invenisti & semper invenies gratiam
apud Deum, hanc, etsi peccator indignissimus,

misericordiam inveniam apud Dominum, ut fascis passionis & mortis ejus mysteriis frequenter participem, nec pro modo vilitatis & miseriæ meæ à sancta participatione admodum arcear.

Non potentiam, non opes, non etiam vel sapientiam, ut Salomon, ad populos judicandos requirere habeo quasi aliquid sim super terram; sed miserantis & condonantis gratiam illam amplissimam, ad memoriale sanctum admitti in multis lacrymis, in suspiriis & gemitibus abundanter, Christo & cruci magis ac magis configi, & tam sublimi dono dignum me exhibere, ipso donante Jesu crucifixo Filio tuo Domino nostro, gratiæ omnis & dignitatis auctore & largitore. Amen.



CAPUT XVI.

Ad laudem beatæ Mariæ Virginis & beatorum Angelorum & Sanctorum.

I. **SALVE**, benedicta Virgo, benedicta Mater, beata Virgo simul & Mater:

Benedicta Filia à Domino Deo exercituum, præ omnibus mulieribus super terram.

Benedictus Dominus, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum.

In te verè completa sunt verba quæ à Domino, insidiatori pessimo, antiquo serpenti nunciata sunt:

Ponam inimicitias inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum.

Benedictus Dominus, qui nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.

2. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honoriscentia populi Dei, quia fecisti viriliter, & ut te totam Deo mancipares, omnes viros despexisti.

Confortatum est cor tuum à Spiritu sancto, ut pro voto virginitatis servando, corpore & corde totam te Deo vovens, gloriosæ Messiae maternitatis spei, etsi filia David, renunciarès.

Omnem apud homines gloriam, dives in Deum abnuisti, quæ minuens plenitudinem voti, casto Dei amori, cui te totam sponderas, posset diversionis offendiculum ponere.

In humilitate, ignota mundo, Deo servire tota præponens, quām in throno sedere, divisa Deum inter & virum.

At qui in retributione non vincitur, suscipiens Deus votum perfectum in abdicatione terrenæ gloriæ, respexit humilitatem ancillæ suæ, respexit & puritatem amoris perfecti tui:

Et temetipsam, Spiritu sancto superveniente, absque ullo virginitatis detrimento Matrem Filio suo decrevit assumere simul & filio Davidis, ut

quæ humanæ gloriæ cumulum Deo voluebat immolare, eandem in immensitate divinæ retributionis, totâ cœli gloriâ cumulatam reciperet, & quam ad hunc sacrificii gradum manus Domini confortaverat, verè humilem & plenè devotam Virginem coronaret, & sibi in habitaculum consecraret.

3. Benedicta sis ergo eò quod castitatem amaveris: propter hoc manus Domini confortavit te: propter hoc Dominus tecum fuit, tecum esse complacuit, in sancto gremio tuo tabernaculum posuit.

O Filia David, ô Filia Abraham, quæ Altissimi virtute obumbrante suscepisti Filium Dei, factum Filium tuum, & per quam Israel suscepit puerum suum! ex hoc sis benedicta in æternum: ex hoc beata prædiceris in seculum: ex hoc magnificeris in ævum, sitque Deus, cui soli fideliter & humiliter omnia retribuisti, in sempiternum magnificatus in te.

Benedicta tua à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, qui per te, in ineffabilis incarnationis mysterio subvenire dignatus est ruinæ populi sui. Audiat te nunc Dominus, & exaudiatur amantissimam Filiam intercedentem pro gente sancta, pro populo acquisitionis, pro oleastro inserto super olivæ illius antiquo ramo, pro conversione peccatorum & perseverantia justorum. Amen.

In vocabo & vos, ô Angeli sancti! & vigiles

spiritus, & animæ iustorum custodes positi super muros Jerusalem! totâ die, totâ nocte in æternum non taceatis:

Ut ad suâ plenitudinem restauretur superna Jerusalem, & consummatio fiat electorum.

O vos omnes administratorii spiritus, missi in ministerium salutis! succurrite laborantibus in remigando:

Succurrite peccatori, ô vos cui gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, sicut mulier in terra gaudet, & exultat de inventione perditæ drachmæ suæ!

O vos, animæ sanctæ, nobis germaniores & naturâ conjunctiores! manum porrigitе periclitantibus fratribus.

Postquam transistis per ignem & aquam, & inducti estis in refrigerium, transeuntes pone vestigia vestra, salvos deducite in medio ignis & aquæ:

Et intercedite apud Dominum, ut torrens tribulationum tolerabilis fiat, ne aquæ absorbeant nos; ut ignis tentationum temperetur, ne citò ardeat cor nostrum, & velut lignum aridum succendatur; ut fiat semper cum tentatione provenitus, quo in fragilitate nostra possimus sustinere, & in bono usque ad finem, adjuvante Domino, firmiter & fideliter perseverare. Amen.

Explicit Liber quartus & ultimus de Transitu.

COLLECTORIS PROTESTATIO.

HÆC excerpta, quæ misericors Deus in manibus nostris adunari concessit, simul & mentem, & cor nostrum, iudicio & censuræ Apostolicæ, Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ submittimus; eidem Ecclesiæ Dei vivi, columnæ & firmamento veritatis, usque ad mortem humillimè & devotissimè subditi, fideliumque preces, qui hac qualicunque collectione uti dignabuntur, instanter postulamus, pro ampliando regno Dei, pro extirpatione impietatis, pro conversione peccatorum omnium, pro confirmatione justorum, & pro venia & indulgentia, miseratione & charitate multa, quâ pro peccatis nostris indigemus, apud Dominum specialiter impetranda.

Ordo totius Sacrae Scripturæ intra annum legendæ.

PSALMI leguntur singulis hebdomadibus ab his qui Breviarium recitant.

Cæteri recitent Psalmos bis in mense, nimirum diebus singulis decem: quinque manè cum duobus lectionibus Veteris Testamenti, & quinque vesperè cum lectione vel lectionibus Novi vel Veteris Testamenti, prout infra dicetur: 31 die mensium legantur octodecim Cantica vel Orationes, nimirum Moysis duo, Deboræ, Annæ, Tobiæ, Judith, Esther Cantica vel Orationes, manè: vesperè Orationes vel Cantica Jesu filii Sirach, Isaiæ C. 12 &

26. Ezechiæ, Azariæ, trium Puerorum, Jonæ, Habacuc,
Mariæ, Zachariæ, Simeonis.

Diebus communibus tres Lectiones Veteris Testamenti,
diebus Festis & Dominicis quatuor Lectiones : ultimæ
duæ Novi Testamenti vesperè.

Diebus Quadragesimæ, Adventus, Quatuor Temporo-
rum & Vigiliarum tres Lectiones, quarum ultima Novi
Testamenti vesperè.

Circa finem anni numerandi sunt dies, ne unquam defi-
cient Lectiones, & ut præcisè compleantur cum anno ;
quod eveniet ex insertione quinquaginta sex aut septem
Festorum præter Dominicas, & facilè fiet, si communi
calendario Festorum addantur Festa, ad libitum & unius-
cujusque devotionem, usque ad prædictum numerum.

Discrimen totum affertur ex Adventu, qui modò tres,
modò quatuor Hebdomadas habet.



EPITAPHIUM.

IN LAUDEM ET GLORIAM DEI.

HIC

Ubi jacent venerabiles istius Cœnobii defuncti , eodem decubuit in sepulchro, sacrâ comite Bibliâ suæ fidei , spei & charitatis anchorâ , quam legebat integrum quolibet anno æquè pius ac doctus Cives Cadurcus , omni dignus memorâ,

LUDOVICUS BESOMBES

A SANCTO GENIO ,

*Montis-Albani splendor Academiæ , & in
suprema Regiorum Subsidiorum Curia
Decanus admodum venerandus :*

DE quo in summa semel dictum omnigenæ virtutis ut in vita & in morte , sic etiam altioris cum sacræ tum secularis doctrinæ magnum exemplar extitisse , sat est commendatum habere , nisi , pro ut omnino meretur , quò in posterū notior fiat , supersit addendum , qualis modò dictus est , talem fuisse , quòd olim juvenis , heu ! nimis interdum captus illecebris muodi , summo post Dei beneficio ejusque superno efficiente auxilio in novum mutatus hominem , totus deinceps totoque cordis affectu reversus est immutabiliter ad jugum suave Christi

Jesu. Cui jugo sancto quò firmius inhæreret, & sic animæ saluti in tuto magis consuleret, suum ruri elegit habitaculum, ubi & alibi, seu ubicunque fuit, quantum pro senatorio munere quo ve charitatis officio sibi licuit, solitudinis impensè amans, non minus tamen, plus imò sacras ædes, sacrosancta mysteria pietate summâ frequentans, multum vigilans, jejunans, laborans, orans, tribus supra triginta annis & ultra, omni genere vivendi & modo quemvis anachoretam austeriorē fortè superavit. Interim longuo pertinacique studio linguarum veterum atque recentium in Europa celebriorum insignem peritiam ex se adeptus, cuique etiam juri divino & humano, civili & canonico accuratè noscendo deditus valdè, simul quoque in priscorum melioris notæ cujusque generis Auctorum, sacrorum præsertim, sanctorum Patrum, & Asceticorum voluminibus evolvendis perquam assiduus; ita egregiè litteratus, vir evasit omnium locorum ac temporum, his & illorum veluti coætaneus & incola; legum insuper divinarum & humanaarum, tanquam senator integerrimus, cultor & assertor incorruptus; tum inde explanator Biblicus; interpres Isocraticus, Homericus; piorum deniqvè aliquot librorum, seu latino, seu gallico sermone recenter editorum. scriptor pereruditus, queis & suis aliis longè plurimis, ritè selectis, ampliavit ditavitque hujus civitatis bibliothecam Seminarii. Factum benè, quod illius inter eos quorum auctor, qui eminet tum pietate, tum sacrâ eruditione, titulo *Transitus, &c.* misso Romam apographo, inscriptâque Pio Papæ VI epistolâ reverenter oblato, feliciter contigit ut in hujus præmium muneris, paucis ante obitum diebus, litteras accepit à Sanctissimo Pontifice plenas gratulatione & animi gratitudine, adjunctas habentes apostoli-

cam benedictionem cum plenaria admissorum indulgentia. Ex suo quippè statim è Montalbanensi in istam civitatem reditu, herniæ, quo jamdiù laborabat, ingravescente morbo, sollicitè petiit ultimis expiari sacramentis, quibus, etsi corpore debilitatus maximè, ast vires divinâ supplente gratiâ, tanta cum fide & veneratione suscepit, sacra imprimis synaxi, capite detecto, manibusque suppliciter junctis, & flexis supra lectulum genibus, ut ipsi Parocho ministranti cunctisque astantibus lacrymas elicuerit doloris simul & summæ admirationis. Quinetiam cilicio, uti dudum, nulli præterquam sibi noto induitus, sereno tandem & hilari vultu piam animam suo reddidit Creatori in amplexu crucis Christi, XII. kal. sept. M. DCC. LXXXIII. ætatis suæ LXV.

Uxor & Filia mœrentes posuere.

O utinam, inquiunt, sit ejus in æternum remunerator omnipotens Deus!

Tu ista legens, æmulus viator, responde:
Amen.



INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. <i>De veteri jugo ad novum transitus</i> ,	p. 1
II. <i>Præoccupemus faciem Domini in confessione</i> ,	12
III. <i>Confessio omnium primi & pessimii Peccatoris</i> ,	20
IV. <i>Consiliarius unus de mille</i> ,	38
V. <i>Ascensiones in valle lacrymarum</i> ,	41
VI. <i>Oratio paventis animæ</i> ,	71
VII. <i>Morum informatio</i> ,	73
VIII. <i>A judiciis tuis, Domine, confige timore tuo carnes meas</i> ,	82
IX. <i>Oratio Peccatoris</i> ,	91
X. <i>Tempus non erit amplius</i> ,	96
XI. <i>Continuatio prima</i> ,	104
XII. <i>Continuatio secunda</i> ,	109
XIII. <i>Væ divitibus in concupiscentiis enutrientibus corda sua: Beatitudo centupla Pauperibus spiritu</i> ,	107
XIV. <i>Oratio</i> ,	124
XV. <i>Via Vitæ</i> ,	126
XVI. <i>Doctrina Sapientiæ & Orationis, & aversio à quocunque delicio</i> ,	128
XVII. <i>Nemo potest duobus Dominis servire: redite ergo prævaricatores ad cor.</i>	134

LIBER II.

CAP. I. <i>Beatus qui penitus consepultus est cum Christo! Beatus qui quotidiè tollit jugum sanctum ejus!</i>	143
II. <i>Una lex unius: hanc unam petui à Domino, hanc requiram</i> ,	162

316 INDEX CAPITUM.

III. <i>Summa sapientia scire Jesum Christum & hunc crucifixum,</i>	176
IV. <i>Non in doctis humanæ sapientiæ verbis vera Philosophia, sed in doctrina Spiritus,</i>	186
V. <i>Audiat qui vult læcos & bonos videre dies,</i>	189
VI. <i>Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper,</i>	194
VII. <i>Ultima hora est, jam tempus est de somno surgere,</i>	197
VIII. <i>Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Domino meo: Domine, doce me orare,</i>	208
IX. <i>Ostendam vobis, ait Dominus, quem timere debatis: Qui querunt animas occidere, hi verè & summè timendi sunt,</i>	213
X. <i>Secundum multitudinem dolorum ipsorum, consolationes tuæ, Domine, lætificant animas Sanctorum tuorum,</i>	223
XI. <i>In hoc vocati sumus, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus,</i>	230
XII. <i>Cum contritis & humilibus Sermocinatio ejus,</i>	234
XIII. <i>Veni in terram quam monstravero tibi,</i>	240

LIBER III.

CAP. I. <i>Corporalis exercitatio,</i>	245
II. <i>Lux vera,</i>	255
III. <i>Labor,</i>	271
IV. <i>Solitudo,</i>	275
V. <i>Caro & Spiritus,</i>	281
VI. <i>Militia Christi,</i>	289
VII. <i>Beati pauperes!</i>	292
VIII. <i>Altitudo divitiarum scientiæ Dei,</i>	299
IX. <i>Fili Hominum & Filii Dei,</i>	301
X. <i>Bona Vita,</i>	315
XI. <i>Humilis & justa discretio,</i>	320

INDEX CAPITUM. 517

XII. Magisterii Lex,	324
XIII. Linguæ Mala,	328
XIV. Mentis errores, & duritia Cordis,	330
XV. Regnum Dei,	341
XVI. Continuatio,	349
XVII. Secretum Solitudinis,	356
XVIII. Bonum Dilectionis,	366
XIX. Signum sanctum,	368

LIBER IV.

CAP. I. Divinæ Dilectionis immensitas,	379
II. Continuatio,	385
III. Quanto amoris affectu ad Altare accedendum, ubi recolitur fervens memoria Passionis Christi,	391
IV. In sacris Mysteriis, primæva superabundanter felicitas Hominis reparatur,	405
V. In Sacramento invenitur specimen felicitatis Pa- radisi,	413
VI. Christus in Sacramento cibus est & animæ lux : quantâ munditiâ ad epulum sanctum oporteat acce- dere,	416
VII. Ut utilis sit sacri frequentatio Mysterii, quantâ compunctione conterenda sit peccatrix anima, quantâ mortificatione domanda sensualitas,	423
VIII. Sacri perceptio Mysterii ineffabilis panacea,	434
IX. In sacri sumptione Mysterii, quam secura, quam alta præbeatur doctrina,	440
X. Ex collatione Sacrificiorum Legis veteris Eucha- ristii Sacrificii sublimitas ostenditur : incomprehen- sibili autem fidei Mysterio plenâ & simplici fide accedendum,	455
XI. Christus in Sacramento, specialiter victimâ tran- situs,	465
XII. Felix dies transitus animæ ad Deum conuersæ	

518 INDEX CAPITUM.

- | | |
|---|-----|
| <i>quotannis celebrandus,</i> | 469 |
| XIII. In permeando deserto Christus in Sacramento eadem, sed potiora bona, quam olim Israelitis collata fuere, providet suis, | 477 |
| XIV. Donorum, virtutum, meritorum Sanctissimæ Virginis oblatio, in gratiarum actionem pro Sacramenti Eucharistiae perceptione, | 482 |
| XV. Ad celebrationem diei in quo beatissimæ Virginis animam doloris gladius pertransivit, | 495 |
| XVI. Ad laudem beatæ Mariæ Virginis, & beatorum Angelorum & Sanctorum, | 406 |

Finis Indicis.

- | | |
|---|-----|
| <i>Collectoris Protestatio,</i> | 510 |
| <i>Ordo totius sacræ Scripturæ intra annum legendæ, ib.</i> | |
| EPITAPHIUM, | 512 |

PERMISSION SIMPLE.

JEAN-JACQUES DE VIDAUD,
Marquis de Villeron, Comte de la Batie & Mo-
gnenins ; Seigneur de Fargues, Cairanne, Bivier,
la Maison-forte de Montbives, & autres places,
Conseiller d'Etat ordinaire & au Conseil privé,
Directeur général de la Librairie, & Docteur d'hon-
neur de la Faculté de Droit.

Vu l'article VII de l'Arrêt du Conseil du 30 août 1777, portant règlement pour la durée des Privileges en Librairie, en vertu des pouvoirs à nous donnés par ledit Arrêt : Nous permettons au Sieur Cazaméa, Libraire à Montauban, de faire faire une édition de l'ouvrage qui a pour titre : *Transitus Animæ revertentis ad jugum sanctum Christi Jesu*; laquelle édition sera tirée à quinze cents exemplaires, en un volume, format in-12. & sera finie dans le délai de six mois, à la charge par ledit Sieur de représenter à l'Inspecteur de la Chambre Syndicale de Toulouse la quittance exigée par les articles VIII & IX du même Arrêt ; d'avertir ledit Inspecteur du jour où l'on commencera l'impression dudit Ouvrage, au désir de l'article XXI de l'Arrêt du Conseil du 30 août 1777, portant suppression & création de différentes Chambres Syndicales ; de faire ladite édition absolument conforme à celle de.... d'en remettre, conformément à l'Arrêt du Conseil du 16 avril 1785, neuf exemplaires aux mains des Officiers de la Chambre Syndicale de Toulouse ; d'imprimer la présente Permission à la fin du Livre, & de la faire enregistrer dans deux mois, pour tout délai, sur les registres de la Chambre Syndicale de Toulouse, le tout à peine de nullité.

DONNÉ à Paris, le 20 août 1787. *Signé VIDAUD.*
Et plus bas, Par Monseigneur, DUMIRAL.

Enregistré sur le registre des Permissions simples, au fol.
22, n.^o 152. Ce premier septembre 1787.

Signé ROBERT, Adjoint.

